




DISPUTATIO

DE

LIBRI APOCALYPSEOS ARGUMENTO SENTENTIA ET AUCTORE.

INITIUM DISPUTATIONIS
DE
LIBRI APOCALYPSEOS ARGUMENTO SENTENTIA ET AUCTORE,

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JANI BAKE,

PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. ET JUR. UTR. DOCT.
LITT. HUM. PROF. ORD.

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE *FACULTATIS THEOLOGICAE* DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITÉ ET LEGITIMÉ CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLENNI EXAMINI SUBMITTIT

HENRICUS ENGELINUS WEYERS,

HOLLANDUS EX PAGO WINKEL,

A. d. XX *Junii* MDCCCXXVIII. *hora* XII—I.

IN AUDITORIO MAJORI.



LUGDUNI BATAVORUM,

APUD S. ET J. LUCHTMANS,

Academiae Typographos,

MDCCCXXVIII.

H. E. W. JANO HENRICO WEYERS, AMANTISSIMO PATRI, SALUTEM.

Est vero, optime pater, ut in publicae hujus scriptionis initio te paucis appellem; fert enim mos, quo nullum natura magis commendat, ut, qui primum in disciplinarum honores gradum faciant, hi debitum doctrinae specimen aut consanguineorum proximo, aut principi doctorum, aut amicorum dilectissimo consecrent. Tu mihi unus instar horum es, et omnium simul personam egregie sustines. Namque ortu quidem cui tandem magis me conjunctum sentiam, quam tibi, cujus, cum vitae mihi auctor exstiteris, veluti spiritus per arterias meas, et sanguis per omne corpus diffusi sunt. At parum habuisti, hoc donum apud filium collocasse; doni pretium ipse auxisti; expertus, quantum literae valeant ad delectationem, quantum mores politi, suaves atque amabiles ad existimationem, quantum sanctitas et benefactorum conscientia ad tranquillitatem: summo opere studuisti, ut etiam mihi hanc beatitatis supellectilem parares, et ad vitam bene ornateque transigendam copiose me instrueres. Nae principem tibi inter doctores meos locum assigno; vellem vero, pater, dignior fuissem tuâ curâ discipulus. In me, in me solo culpa est, quod ab humanitatis perfectione longissime ac turpiter deflexi: tu omnia; non sine pudore eloquor, at eloquor tamen; tu omnia, ut perfectissimus essem, in me contulisti. Sive enim pueritiae reminiscor, tua mihi imago velut boni cujusdam Genii ante oculos obversatur, utpote qui primas ac difficillimas docendi partes tam praeclare egisti, ut nesciam, utrum exemplo an dulcissimâ admonitione me ad alacritatem et ad virtutis studium vehementius excitaveris: sive ineuntis ac magis provectae adolescentiae memoriam recordor, tanta in me ex tuâ disciplinâ redundaverunt commoda, ut cum aliis sane quam multum, plus tamen tibi debeam. Quid enim? nonne tua, quae antecessit, Graecarum Latinarumque literarum institutio effecit, ut Peerlkampiorum, celebratissimâ virorum laude, scholas et promtior longe paratiorque adierim, et maximo cum fructu summâque cum voluptate frequentaverim? Neque alia fuit causa, cur in hanc Academiam missus, tum eruditos illos Grammaticos et gloriosâ famâ Theologos facilius audire, tum ab horum disciplinâ insignem temporis partem in Orientales literas fere ab initio inde ad hunc usque diem seponere potuerim. Nempe tuae hoc prudentiae acceptum refero, qui non ante me huc traduxisti, quam per integrum annum et harum literarum me initiis imbueras, et Theologiae praecipua capita mihi ita tra-

dideras, ut decernere non ausim, utrum ad universa studia ordinanda, an ad artem illam et severe et libere tractandam, plus mihi inde utilitatis fluxerit. Quare, eum noveris ipse, quantopere soleam eorum merita praedicare, quorum doctrinae me committere pro sapientiâ tuâ optasti, tibi tamen, si vel patris venerabile nomen abesset, tanquam doctorum principi hic liber inscribendus fuisset. Atque amicitiam tuam quid tandem multis persequar? Metuo enim, ne de splendore ejus languidior oratio detrahat. Fuerunt, pater, et nunc sunt, quorum erga me mihi perspectissima est benevolentia, qui omne genus bona liberaliter et copiose in me contulerunt, qui familiaritate me amplecti, studiorum apparatu ornare, consiliis atque ope mihi prodesse, et tenuitatem meam fulcire admirabiliter consueverunt: eorum alii, in quibus Mangerus ille, singulari vir officio et fide, tibi jamdudum sunt notissimi; alios ex meâ laudatione, saepenumero coram te et exsultanti ardore repetitâ, nonne quam optimos, quam beneficentissimos cognovisti? Et tamen impietatis memet ipse reum agerem, si horum unius amorem amori tuo comparando aequarem: fuit enim hic talis, qualis in patrem eadit solum, et quali ex patribus, credo, pauci, imo vero paucissimi amant. Tu, quicquid petii, modo ne stulte peterem, etiam cum tuo detrimento benigne dedisti; quod ne rogare quidem ausus fuissem, veluti filio debitum, facile ac tuâ sponte largitus es; tu, plus quam pie de liberorum salute sollicitus, cum diurnâ nocturnâque curâ agitare eorum commoda soleas, saepe insomnis in meâ quoque et in mearum rerum cogitatione infixus haesisti, nec quicquam tibi antiquius fuit, quam ut, si meae fortunae accessionem aliquam adjungi posse sensisses, hanc illico, vel me nesciente, adjungeres. Ne plura, difficillimas partes, tibi à naturâ impositas, ter tu et quater, quam natura requisivit, explevisti.

Quare multiplici tuo jure, pater, hanc tibi scriptionem consecro: profecto Deus me dilexit, quod tam caro capite in vitâ servando, hujusce rei mihi copiam fecit; macte tu virtute ac pietate esto, diuque mea salus, tuorum omnium deliciae! Unum vero dolet; qui dolor et meâ et tuâ causâ est gravissimus; nimirum, quod non tale tibi offerre munus possum, quale merito ab illo exspectaveris, quem ad studia rite perficienda tantis instruxisti subsidiis, ut, cum de septem filiis tibi unus sim, tu tamen, si unicus essem, vix plura suppeditare potuisses; quem in Academiâ Lugduno-Batavâ, cum primis celebratâ, per septem annos operam dare literis sivisti; quem in eorum tradidisti disciplinam, quibus nescio an patria nostra paucos eruditione pares, an universa doctorum civitas superiores habeat nullos;

cui

cui denique nosti, ad hanc disputationem conscribendam peculiarem Voorstii opem et privata patuisse consilia. Sane quam sentio, te multifariam desideraturum esse prudentiam illam scientiaeque ubertatem, quam in hoc meo Nestore; acumen illud et subtile judicium, quod in Clarissio; elegantiam atque modestiam, quam in Palmio; alia, quae in aliis conspicua, me certe non adeo neglecturum fuisse speraveris. Et procul absum, ut infirmâ excusatione meam ipse culpam in clariorem lucem proferam: fateor eam et profiteor ultro; nec tamen est, ut iram tuam aut indignationem praesagiam; cum enim de omnibus, quae à filio profecta sunt, benignius semper judicare volueris: tum nullus dubito, quin hoc exile donum non rejecturus, sed velut praeclarum quid laetus atque lubens accepturus sis. Unde nolo, pater, à te flagitare clementiam: severus esto: severitas etiam tua lenis est et dulcis et amabilis. Si vero contigerit, ut quae et nunc jam hocce libro continentur, et quae dein ad eum additurus sum, tibi non omnino displiceant, nedum ut multa, ut plurima comprobes, quanto facilius aliorum reprehensiones, aliorum etiam, si praeter spem inciderint, calumnias feram! sint enim hae graves: modo ne ex omni parte à te justae habeantur; sint acerbae ac probrosae: modo tua consolatio ad meam conscientiam accedat. Namque facile quidem dedi, me multa secus, quam suave, quam pulchrum, et quam decorum sit; at sancte, at religiose testor, me nihil secus, quam verum videretur, scripsisse. Quare, quos tandem cunque liberior mea ratio offenderit, sciant, oro, vel potius recordentur, amicam esse juveni bonorum omnium existimationem, veritatem magis amicam.

Sed talia persequi, neque hujus est loci, et à tuo, pater sensu abhorret. Finem facere huic epistolae potero, si unum adhuc à te petiero, et unum tibi ipse promisero. Tu perge, ut instituisti: liberaliter me habe, ama ac dilige; erroribus meis ignosce: ne graviores admittam, sapientissima tua imperti consilia; quibus uti nunquam me indigere non sensi, ita nunc inprimis sentio, cum propius mihi accedere ad venerabilem illum ordinem videor, cujus munera tu jam per sex et viginti annos coluisti, et constanter strenueque exsecutus es. Ego vero, non ut incepi, pater, sed ut par est, te amabo, te diligam, tibi obediam; efficiam, spero, ut tua tibi vita per mores filii jucundior, ut ne aut tua mihi aut mea mors ob ingrati animi conscientiam acerba sit. — Vale, et salvere matrem carissimam jube. Lugduno-Batavorum, ante diem XV. Kalendas Quintiles.

ثمرة الجبن لا ربح ولا خسر

MEIDANI.

Cum arduis inceptis et lucra et damna conjuncta sunt.

INTROITUS.

Non paucos fore auguror, qui, lectâ hujus libelli inscriptione, statim eum de manibus ponant, et ultra inspicere supersedeant; alios quidem more suo, quod facile est ad ferendum, alios autem contra morem, idque variâ de causâ, prouti cujusque est de materie, quam tractamus, sententia. Esse enim habeo compertum, quibus conatus omnis interpretandi Apocalypseos libri minuti videatur et ridiculi capitis, ne dicam insani: his igitur non dubito, quin, si huic titulo incidant, statim portentum quoddam levitatis nugatoriae et delirationis ante oculos obversetur, quâ ne et ipsi inficiantur, sedulo sibi cavendum ducant. Nonnullis alte haeret in animo fastidium, quod concitavit olim commentariorum lectio, quibus haec arcana se aperire tot omni aetate studuerunt; quorum cum ne duos quidem consentire inter se vidissent, eo tandem pervenerunt morositatis, ut, ubi inventam esse nondum veritatem judicent, ibi praeclusam esse in perpetuum sibi persuaserint. Horum certe desperatio ut eatenus tollatur, ut invisum illud iter denuo ingrediantur, longe majorem aliquam, quam juvenilis hujus nominis, auctoritatem requiri, facile sentio. Multi denique, qui post errores vagos et multiplices tutissimum tandem portum assecuti sibi videntur, et in unâ aliquâ, quae aut jam ante multa saecula, aut nuper demum est proposita, explicatione libri ita penitus acquiescunt, sibique placent, ut nil difficile superesse amplius sentiant: hi, inquam, gloriosius forte, quam par est, ridebunt, abjectâque scriptione nostrâ, graviter in auctoris superbiam invehentur, qui post Homerum scilicet ausus sit Iliada canere.

Qui quaeso, licet pro certo habeam, me vera vaticinari, vel ex parte huic malo occurram? An multum praefando, vel humili usus adulatione, quâ rugas istas

su-

superciliumque domem, et causae meae gratiam conciliem, vel splendidâ, ut fit in foro, pollicitatione, nil hic eorum, quae metuunt; quae sperant, omnia praesto esse? Minime vero: uti enim utrumque non à meâ, utpote quae nulla est, sed à literarum gravitate alienum censeo, et alterum praeterea tantae foret insolentiae, ut solam ejus cogitationem jam pudor consequatur: ita, quo tandem cunque modo rem instituerem, surdis sane auribus cantarem; ea enim est illorum judicum iniquitas, ut nudâ suspicione inducti, reum capite damnent, omni interclusâ causam dicendi facultate. Quare, si nihil aliud mihi videretur extimescendum, nisi ne tanta sit futura plerorumque praejudicata opinio, ut libellum hunc intactum relinquant, brevis esse in introitu possem, et statim ad rem ipsam transire. At vereor, ne, si qui sint, qui eum legere aggrediantur, hi quoque accedant inviti et tergiversantes; non adeo, quod argumentum ipsum displiceat; hoc enim moderatiore viri prudentiâ dignum, imo dignissimum forte putabunt, in quo nostrâ adhuc aetate elaboretur; sed quod displiceat auctoris levitas. Pro Deus Immortalis! quantam hic, ajunt, temere suscepit molem! Qui primis labris literarum elementa gustaverit, hunc de quaestione audiemus disserentem, cui sustinendae vix Criticorum lumina et coryphaei pares sunt! Sane aut vires iste suas, aut campi, quem intravit, amplitudinem non exploravit! Recte sic, o boni! priusquam ergo ipse rogaverim, jam occupastis de eo, quod aequum sit, legem scribere; quibus enim adeo de rei difficultate persuasum est, eosdem huic facilitatem suam aequaturos esse, non dubito. Age itaque, ne seniorem me, quam pro aetate meâ, disputationem poscite, et si quid boni praeter spem inveneritis, hoc laudi sit; sin minus, quod voluerim. Verum ne hoc pacto quidem cum bonâ pace dimittor. Bellum, ajunt, quaeris effugium; sed frange sis accusationis caput: hoc enim tibi vitio vertimus, non quod errantem te, tuoque succumbentem oneri videbimus; sed quod errandi occasionem petivisti de industriâ, et cupide in tantum involasti periculum. Quid enim? Adeone illam, in quâ studium posuisti, disciplinam jam penitus perfectam esse absolutamque censuisti, ut nulla tibi superesset, de quâ commentareris, nisi abstrusa haec et paene desperata quaestio? Desinite, oro, talem mihi affingere stultitiam, quâ tantum abest, ut in hac causâ opprimar, ut potius ante hos demum quinquaginta annos nata esse, aut ex juvenili certe aetate excessisse disciplina nostra videatur. Verum sentio, cum ipse fassus sim, ingentem adhuc praesto esse materiei copiam, ex cujus amplitudine unam aliquam potuissem delibare particulam, rudem quidem inconditamque, sed multo viribus meis aequiorem; sentio, in-

inquam, jam nullo pacto me temeritatis atque arrogantiae crimen demovere à me posse, nisi omnino exponam, quo casu fere invitus in hunc locum devenerim. Haec igitur accipite, quibus me satisfacturum esse non spero tantum, sed confido.

Quae reliquarum doctrinarum ratio est, ut varias habere partes censeantur, quae separatim singulae quodammodo tractari possint, eadem etiam est Theologiae, cujus uti duae partes in Philosophiâ versantur et Historiâ, ita tertia ad Literas pertinet. Mihi, in earum quâque, quantum per vires licuit, elaboranti, semper tamen ita arrisit ultima, ut, quam à caeterarum studio detrahere sine damno potui, eam operam unice in hanc, velut in delicias meas, contulerim. Quod quaeso quis mirabitur, qui nomina eorum et merita secum recoluerit, qui mihi in hac arte duces fuere et impulsores? Hinc enim instilit Voorstius, immortale disciplinae, quam profitetur, decus atque ornamentum, qui nescio utrum magis ob eximiam liberalitatem colendus, an insigni eruditione et sanctissimâ senectute gravis sit. Illi, oro, decernant, qui multi numero rarâ virum praestantiâ quotidie admirari, et easdem virtutes non laude prosequi, sed late celebrare solent: ego vero id unum testor, tantam vim monita ejus, amabiliter et ad persuasionem appositissime data, in animum meum habuisse, ut, si obtemperare satis potuissem, certe Graecum Sacri Codicis volumen non ter aut quater à me lectum, sed usu jam tritum fuisset. Illinc ursere duumviri, Palmius et Hamakerus, ut (quod Voorstius pro sapientiâ suâ simul requisiverat, aut suo saltem, perfectissimi interpretis, exemplo vehementer commendabat) ut igitur in alterâ illius Codicis parte, quae Hebraïce conscripta est, non minorem diligentiam ponerem; neque id eatenus, ut quae faciliora sint, sine magno labore intelligerem; sed ultra etiam esse enitendum: familiaritatem contrahendam cum universo Orientalium stilo, dicendique colore; addiscendas Arabum et Syrorum linguas, neque in eorum literis licere tantum mediocriter versatum esse: sic demum viam muniri, uti universe ad scientiam multiplicem, ita quoque ad sublimia illa Hebraeorum oracula ex vero aestimanda, et impeditissima quaeque feliciter solvenda. Dubitasne ergo, an et horum sim consilia secutus? Quid? quos, quâ late patet aut universa doctrinarum respublica, aut certe patriae humanitatis honos, unâ omnes religione venerantur et suspiciunt, mihine vel in mentem venisse putas horum monita et curas contemnere? Nae tu hercle, qui ita potuisse fieri existimas, vel nunquam eos videris, vel in toto hoc studiorum genere hospes sis, necesse est. Utriusque enim tibi finge imaginem, vel potius pete e scriptis: illius, tanquam succo et sanguine pleni, in venustate

 ele-

elegantiâque facile principis; hujus, adeo omnes humanae facultatis numeros in se continentis, ut specimen in illo esse videatur, quantum valeant ad perfectionem perducta et conjuncta inter se acumen, memoria, labor. Tantâ virorum laude exemplum quis est, qui non in maximâ disciplinae commendatione habeat, et, si accesserit consuetudo et familiaritas, non aliquâ saltem ex parte sibi imitandum proponat? O me beatum, quod proposui! beatiorem longe futurum, si melius expressissem. Sed temperandum esse duco, ne campum ingrediar, in quo libere mea exsultaret oratio; nam exponentem sane, quantum trium horum, nedum omnium, de quibus glorior, doctorum studiis et amicitiâ delecter, verba credo prius, quam scribendi ardor, deficerent.

Cum igitur haec, ut dixi, mea fuerit ratio, ut in utrumque nostrum Codicem intelligendum praecipuas conferrem curas, alterum non fieri potuit, quin de solennis hujus scriptionis materiâ cogitanti talis videretur eligenda, quae aeque in hoc et in illo literarum genere versaretur. Jam ultro se menti meae obtulit liber ille, qui Graece scriptus, colore est prae reliquis omnibus Hebraeo, ut si ab externâ specie oculos avocaveris, alterum te legere putes Ezechiëlem, Daniëlem, Zachariam. Neque solum enim horum characterem hic expressum esse patet, sed dicta fere singula rerumque formas et imagines tam presse auctor à veteribus est mutuatus, ut per aliquot integra capita nil nisi dispositio illi propria sit et peculiaris. Consilium ergo fuit, hujus libri stilum, quantum possem accuratissime, conferre cum stilo vatum antiquiorum, nec tantum sedulo notare loca, quae hic descripta esse viderentur, sed etiam circumspicere, an quae in Hebraeorum poësi decrescentis sensim ingenii reperiantur signa, ea non in hoc praesertim, quippe recentissimo longe monimento, vel ex Graeco sermone evidenter pelluceant. Neque tot habere eam rem cautiones judicabam, ut multum vires meas superatura esset; modo haec mihi prima foret disputandi lex, ut de ipsâ oraculi sententiâ, uti prorsus eram incertus, certior esse non conarer. Susceptum itaque negotium inchoavi, at statim jam in deverticula abii. Est enim hoc in more positum, ut, si quod scriptum diligentius tractare incipias, de auctore sciscitcris: cui mori, licet absolutâ necessitudine non tenerer hic obsequi, obsecutus tamen sum animi causâ, experturus, utrum forte illius rei indagatio me ad argumentum, quod posueram, enucleandum redditura esset paratiorem; sin minus, scientiae certe meae qualicunque non parvam hinc adjunctum iri accessionem, statuens.

Sic, ut semel à proposito deflexeram, facile fuit ultra aberrare. Initio quidem

dem parcius et angustius] in perdifficili illâ quaestione versatus sum; mox fusius; tandem coepi totus in eâ esse, nec pergere ad caetera placuit, antequam in tantâ opinionum dissensione de hujus illiusve veritate mihi persuasum fuisset. Ne multis, adeo arrisit mihi haec materies, ut, mutato ex parte et amplificato, ut fit, consilio, publicam meam disputationem bipartito distribuere cogitarem, et priorem partem inscribere *De auctore libri Apocalypseos*, posteriorem *De fonte vario, à quo suam ille dicendi rationem petierit.*. Jam studiosius omnia conquisivi, quae super controversâ eâ re summi Critici ediderunt; nec magni fuit laboris, aut antiquiora, quae in omnium manibus sunt, ut Lutheri, Erasmi, Bezae, Pritii, Millii et Michaëlis scripta, aut recentiora Haenleinii, Hugii, Eichornii, Bertholdtii, Donkeri Curtii nostratis, et Heinrichsii comparare; sed majorem hoc difficultatem habuit, eos adipisci libellos, quos, extremo fere superiore saeculo, vel ipse Semlerus, vel qui ex illius parte erant, horumque adversarii certatim sibi invicem opposuerunt; ex quorum ingenti numero tunc sola Schmidii scripta venalia reperi, caetera, quae multo magis expetebam, frustra quaerens. Quibus igitur potui, subsidiis usus sum, et cum ad causam judicandam duplici viâ incedere aequum sit, ut et testes extrancos, et reum ipsum audias; tum in illud feratur natura nostra, ut si super hoc praejudicata jam opinio in mente adsit, illis etiam sine partium studio aures praebere nequeamus: ita demum ut par est historicam quaestionis partem me tractaturum existimavi, si, periisse librum ipsum fere posito, quis pro auctore esset habendus ex testimonio veterum, dispicerem. Collectis itaque, quae hujus generis exstant, locis, summe studui, ut leges praefinirem, ad quas singulorum esset exigendum pretium; viderem, utrum qui testes vulgo dicuntur, revera omnes in hoc numero, an potius in judicum, nec satis integrorum, plurimi putandi sint; denique ad cujusque attenderem aetatem, studia et ingenium, neque minus ad sedem. Sic, postquam duorum ferme saeculorum à Justini inde aetate percurreram, simul atque ad Eusebium perveni, consistendum esse ratus sum; ultra enim in priscorum verba jurari. Jam cogitata disposui, literis consignavi, et primum hocce caput ad finem perduxi, ita censens, si ex solis pendendum esset veteribus, probabilem hanc fore conclusionem, Johannem, Jesu Christi discipulum, illius libri fuisse auctorem. His ita peractis, non leve fundamentum mihi jecisse visus sum, cui reliquam aedificii partem facilius imponerem; at nunquam memini me magis spem frustrari; sane quam dubito, an aeque infesta nautis Scylla sit atque illud, in quod nunc incidi, ζήτημα ju-

juveni, qui Criticum agit. Cum enim ipse liber, ab interitu servatus, alteri in hac causâ adjumento sit, statim ad secundum caput transii, quo, an et hic eidem viro se adjudicet, inquirerem, et argumenta ponderarem, quae ex illius formâ atque habitu ab aliis alium ad finem petita sunt. Nec magis, credo, patet usquam judicii inter homines, imo inter doctos, discrimen: ubi hic convenientiam cernit et amicam conspirationem, ibidem ille talem discrepantiam, quali inter lucem et tenebras fere major esse nequeat; quod in honore habet alter, alter risui exponit, et in priscorum annumerat nugis; totum hic librum laudibus in coelum effert, et sermonis succum nescio an gravitatem, poëtici fervoris an divini spiritus nobilitatem, magis celebrat; ille sordide infucatam dicit et absurdam orationem, structurae plusquam rusticam ubique ostendit imperitiam, rerum simul et verborum deridet asperitatem. Atque duram hanc sententiam, licet ex parte jam Caji Romani, Dionysii Alexandrini et immortalis Lutheri fuerit (*a*), praesertim tamen à Semlero ejusque aequalibus latam esse comperi, nec paucis fultam rationibus, quas magna quidem mihi fuit suspicio, non satis accurate à recentioribus esse propositas. Denuo igitur omni ope atque operâ enixus sum, ut horum libellos compararem, atque tandem coeco quodam casu duo Semleri scripta in manus inciderunt, ex quorum lectione satis apparuit, me conjecturâ verum assecutum esse. Uti enim multo melius tum sensi, quantum in illius disputatione roboris et nervorum esset, ita hoc inprimis utilitatem attulit, quod fontem ipsum deprehendere viderer, ex quo omnis ista ira et pervicacia manaverit. Quippe Semlero, qui in Sacri Codicis universitatem nihil admittendum esse statuit, nisi quod ad morum maxime emendationem suo se commendaret pretio, omnia magis fuerunt tolerabilia, quam obscuritas et merae tenebrae. Quae criminatio cum in nullum aeque caderet, atque in Apocalypseos librum, quem scilicet neque ipse ullo pacto intelligeret, neque ab aequalium uno intelligi, quâ erat sanitate, sentiret: facile eo delapsus est, ut in hac quoque causâ ingenii quam excellentissimi viribus abuteretur, et praejudicatam suam opinionem mirum quantum stabiliret. Primum multa invehi in ipsum opus; non ab Johanne tantum illud abjudicare, sed ab Apostolorum quocunque; qui secus censeat, eum aut insanire, aut de industriâ gravissima haec nomina polluere; verba enim vocesque contineri absque sententiâ, imaginum monstra, ridicula rerum portenta, doctrinam improbam et plane scelestam, vaticinationem, si Diis placet, quae nunquam exitum habuerit; uno verbo, non pluris hunc, quam quartum Esrae, ut ajunt, librum faciendum esse, ad cujus

etiam

etiam exemplar non paucis in locis turpiter expressus sit. Sic sane abunde adulterinum eum esse, conspici; quocirca, si ex historia pateret, eum primo religionis Christianae tempore jam adfuisse, secus concludi non posse, quin aut à Cerintho, aut ab uno aliquo illius auditore confectus sit, et falso nomine sanctissimo viro tributus; initio quidem clam, ne fraus detegeretur, nec nisi conjuratorum oculis expositus; quam primum vero Apostolus de vitâ decessisset, in remotiore paulo terrâ publice exhibitus, hinc ultra deportatus, et ubique fere studiose acceptus, adeo, ut quae mox à prudentioribus controversia mota sit, impedire non potuerit, quominus ab indoctâ multitudine ad hunc usque diem in summo honore sit habitus. Quod tamen ut ipse animo effinxerat, cum difficiles habere explicatus sentiret, nec parum inprimis tantam libri antiquitatem opinionis suae probabilitati officere, ipse se ad explorandam historiam contulit; cujus quidem indicia tantum abfuerunt, ut intimam illius animi persuasionem labefactaverint, ut nunc demum triumphare in causae suae fide coeperit: loqui enim, quorum effatum; silere, quorum silentium grave sit; omnino nihil obstare, quin altero post C. N. saeculo liber sit scriptus; patere, eum à Montanistâ aliquo vel in Asiâ fictum et hinc in Galliam translatum, vel in ipsâ Galliâ forte ab Irenaeo aut alio ejusdem notae viro suppositum; magnam certe suspicionem esse, Irenaeum istum, nec minus Justinum et Tertullianum in ineptam hanc fraudem conspirasse cum primis auctoribus, et suâ nominis celebritate aliis facillime fucum fecisse; nisi potius existimes, ipsos, ut essent minutissimo ingenio foedoque Montanistarum errore infecti, misere se decipi passos esse, et avide illud arripuisse, quod mirum in modum ipsorum somnia confirmaret. Quin tertiam quoque viam superesse, quae exitumne haberet, non satis quidem adhuc se explorasse fatetur, at quâ tamen tuto incedi posse, jam certis quibusdam auguriis mens sua praesagiverit: scilicet, ut antiquissimi illi, de quibus modo dixi, scriptores neutiquam in culpâ esse putentur, sed eadem in hos, quae in Johannem ipsum, injuria illata videatur: quam proxime enim à probabilitate abesse, Irenaei certe, quod fertur, opus, πρὸς τὰς αἱρέσεις inscriptum, aut omne inferioris esse aetatis, aut turpiter multifariam interpolatum. Ne plura, tanta fuit Semleri concitatio, ut in novissima quaeque et inaudita maluerit abire, quam absurdum hoc, ut judicabat, scriptum, Apostolo tribuere (*b*).

Et sane haec, quae nuda hic exhibita, suâ se ineptiâ destruere videntur, tam sunt acute et ingeniose disputata, ut nullus mirer, fuisse quam plurimos, qui plane adsentiri non dubitarent. Quinimo, nam libere eloquar, me quoque, qui in contra-

riam

riam prorsus partem praejudicans, nec sine armis, ad lectionem accesseram, tantopere confudit et consternavit tortuosum hoc scribendi genus, ut incertus aliquamdiu, quid rei esset, fluctuarem; donec circumspectis caute omnibus, non quid revera factum sit, à Semlero exponi ex historiâ vidissem, sed velut ludicrâ quadam exercitatione monstrari, quam diversâ viâ aliorum testimonia enervari possint, si rei ipsi, quam testentur, obstinate quis fidem negaverit. Omnium itaque illorum rivulorum unum esse communem fontem, mihi persuasum fuit, quo obstructo, necessario exarescerent; hoc autem integro, frustra fore, alium ex alio magnâ virium intentione interclusisse rivulos; novos enim exitus exaggeratam aquae vim sibi facile paraturam, nec leviter saevituram identidem. Is erat Semleri animo, et eorum omnium, qui coryphaeum hunc secuti, sic statuerunt, extorquendus error, si errorem esse pateret: nempe, cuicunque hunc librum adjudices, notam huic inuri turpitudinis aut delirationis, quod vel absurde simul et impie scripserit, vel à nemine possit potueritve unquam intelligi. Cujus quidem complexionis uti ipsam, quâ fundata est, propositionem ultro dedi justam esse: ita ad assumtionis robur severe et graviter aestimandum non prius me paratum fore sensi, quam in libri argumentum et sententiam ipse inquisivissem, et celebratissimos quosque consuluissem interpretes. Optio igitur fuit, utrum militis instar ignavi in medio certaminis ardore jam fugae me darem, an pactum illud salutare negligerem, quod mecum ipse feceram. Hoc praetuli invitus fere, utpote cui arbitrium ademerat veri videndi cupiditas. Quae quanto mihi constiterit, nunquam sine taedio recordor: ut enim semel atque iterum totum librum perlegeram, novo hoc proposito inductus, ut quaenam subsit mens et cogitatio auctoris, perciperem, tantae ubique tenebrae deterruerunt, ut magis sensim magisque Semleri excusarem convicia. Mox igitur ad commentarios doctissimorum virorum confugi, ut, quod ipse lumen afferre non potueram, ab aliis quaererem; at, bonâ veniâ dixerim, multum abest, ut desiderio meo plane satisfieret. Ne enim de iis loquar, qui ante Semleri aetatem in difficili hoc opere desudaverunt, quos, uno forte Grotio, admirabili viro ingenio, quique ad hujus sanitatem accesserunt, exceptis, non depulsores tenebrarum, sed statores admodum clementer diceres: his, inquam, missis, in clariori quoque hujus disciplinae luce, tam inepte à nonnullis hic liber explicatus est, ut fere nescias, utrum joca an seria scripserint. Quid? quod in Herderi etiam, Eichornii, et Heinrichsii interpretatione, magnis quâque laudibus ornandâ, tanti multifariam conspiciuntur errores, tanta vis illata verbis, tanta licentia et inconsiderata levitas,

ut

ut mihi legenti plus semel spes exciderit, fieri posse, ut unquam veritas hic manifesta et confessa sit, nullusque dubitem, quin, si inter vivos adhuc degeret Semlerus, et ingenue de his conatibus sententiam ferret, multum elevata quidem esse, quae objecerat, sed nondum enervata penitus, mecum consentiret. Sic ergo, diversissimis multorum opinionibus examinatis, et quod ex singulis nativâ quâdam bonitate se commendaverat, notato, eodem, unde initium feceram, redii, sed longe promtior paratiorque, ad lectionem videlicet ipsius libri, experturus, an certiorem aliquam explanationem reperire forsitan contingeret. Ac lento quidem temperatoque gradu minutatim procedens, (cum plerosque prae festinatione aberrasse à viâ judicarem,) id studiose curavi, ut quamcunque vel levissimam scintillam e densâ nocte pellucere vidissem, hanc quasi ducem itineris sequerer, nec prius alio secederem, quam altera una oblata esset splendidior et magis accepta. Cujus indagandi rationis hic fuit fructus, ut tandem, repetito aliquoties eodem labore, nullum fere mihi dubium superesset de universâ libri sententiâ et de auctoris consilio: quippe quae ad hujus rei intelligentiam ducere posse visa erant, indicia, per totum opus passim dispersa, tam evidenter omnia inter se conspirare comperi, et alterum alterius firmare declarationem, ut nihil aliud, sed sane hoc quam gravissimum, requireretur ad integram causae probationem, quam ut detectum esset foedi istius portenti nomen, quod, capitis XIII. col. 18, literarum, quibus constet, numero exprimitur. Quod vana quaedam cupide conatus, ita tandem invenisse mihi visus sum, ut in invento statim acquiescerem; nescio enim, utrâ ex parte magis se mihi commendaret conjecti nominis commoditas, quod plane in hoc conveniret, quae capitibus XIII et XVII terribilis monstri satis pressa fit descriptio, an quod per hoc repertum integro manerent robore et immutata omnia, quae ante jam ex aliis indiciis mecum concluseram. Sed absit haec, quae nonnullis videbitur jactatio, judiciumque aequis relinquatur lectoribus; cui, qualecunque futurum est, non aegre cessurus, id ipse saltem, et eo, de quo dixi, temporis momento ratus sum, et nunc, quum conjecturae novitas quodammodo jam vim amisit, nec fucum facere amplius potest, reor constantissime, me viam agnovisse interpretandi Apocalypseos libri, quae, si Semleri adversariis patuisset, extemplo huic facultas fuisset praeclusa, tam libere, quamcunque vellet, objectationem effutiendi. Ea enim duo cum totius disputationis suae principia ac velut fundamenta posuerit: alterum, fieri non posse, quin aut nulla, aut impia et absurda libro constituatur sententia; alterum, aetatem, quâ scriptus sit, prorsus in-

 cer-

certam esse, nec licere, eam ex veterum testimoniis definire, quippe inter se mirum quantum dissentientibus, et variâ de causâ non parum suspectis: ea, inquam, duo, quorum pondus quis est qui leve ducat, aut penitus, aut ex maximâ parte cadant necesse est, quam primum nostram explanationem pro verâ habueris. Namque hanc quidem quaestionem ita me profligasse censeo, ut non tantum, quo tempore haec scripsisse voluerit videri auctor, manifesto appareat, sed etiam confessum sit, eum haec scribere non potuisse post obsessa et expugnata Hierosolyma; illam vero eâtenus ad exitum perductam esse spero, ut qui nostram, severe examinatam, probaverint opinionem, hi nec de obscuritate nec de absurdo libri argumento amplius questuri sint; at de temeritatis crimine, ne dicam impietatis, omnes etiam ultro destituros esse, non aeque confidenter adseverem.

Cum igitur in tantam molem sensim excrevisset materiei copia, ut intra solitos publicae hujusce disputationis fines vix posset includi, tum leges dialecticae postulaverunt, ut mutatâ non leviter rerum facie, earum quoque tractandarum ordo, quantum par esset, inverteretur. Placuit itaque, illi malo sic occurrere, ut aliquam tantum libelli partem hic ederem, reliquam, nisi dissuasisset publica omnium existimatio, dein additurus; huic autem necessitati tam plene servire, ut pristino consilio iterum rejecto, novum substituerem, quo et luculentius cogitata exprimerem, et compositior rerum series evaderet, et diversorum capitum aequalitati magis prospiceretur. Quorum copiam affore facultatemque putavi, si initium scribendi sumerem ab expositione universi argumenti sententiaeque libri, uti utrumque animo effinxissem, intestina secutus indicia; atque dein quaestionem de auctore tractarem, quae, praemissâ, quam dixi, operâ, et multum illustraretur, et partim subtilius, partim magis praecise elaboraretur. Hoc ergo propositum firmum permansit illibatumque; quod cum persequerer, facile supersedere potui, singulari loco inquirere in varium fontem, ex quo dictionis colorem ac speciem auctor petiverit: cum, si quid hac de re nondum occupassent reliqui interpretes in medio ponere, id commode videretur suo quodque loco notari posse, vel saltem adumbrari leviter.

En igitur tibi, quicunque hunc libellum lecturus es, illius ortus ab ipsâ velut conceptione enarratus. In quo si forte latum orationis ambitum reprehenderis, culpam sane attribueris, quam ipse fateor, frustra tamen conatus, haec sine damno perspicuitatis arctioribus cancellis includere; sin vero hoc aegre feras, quod

quod tantum de me fere meisque laboribus locutus sum, legitima, credo, erit excusatio, quod tuâ, quam prospiciens non parum reverebar, criminatione ad causam dicendam ultro provocatus sum; qui autem causam dicere aggreditur, hunc profecto rideres, nisi de se suisque rebus ageret. Sed nolo jam, quae pro defensione sint, haec etiam defendere; potius ad ipsam rem festino. Itaque priori disputationis parte ea omnia continebuntur, quae universe ad Apocalypseos librum recte intelligendum necessaria esse visa sunt; pars autem posterior, quâ in illius auctorem inquirendum erit, in duo capita distribuetur; quorum in altero dispicere consilium est, an liber, tali praeditus sententiâ, qualem ante exposuerimus, sine ignominiae notâ cuiquam Apostolorum adjudicari possit; ad quam quaestionem si ajendum quidem esse apparuerit, in altero capite videbimus, an argumentorum historicorum simul et intestinorum sufficiens pondus sit, ad evincendum, Johannem auctorem esse; sin vero negandum visum fuerit, in altero illo capite explorabimus, an salvo historiae jure, atque vel in tantâ convenientiâ, quam Apocalypseos libri esse cum Euangelio et Epistolis illius Apostoli, tot ac tanto viri ingenio monstrarunt, liceat in negatione perseverare.



PARS PRIOR.

DE ARGUMENTO ET DE SENTENTIA LIBRI APOCALYPSEOS.

Ac forte, qui hanc inscriptionem attenderit, statim me perrecturum existimet ad illud pertractandum, quod caput rei sit; videlicet, ut quod verum esse ipse censuerim, breviter in medio ponam. Nec profecto aut aegre id exsequerer, aut fusiorem hancce, quae nunc placuit, disputandi rationem animi causâ praetulissem; at momentum rei fecit metus, ne temere viderer labem immeritam adspersisse plerisque interpretibus, qui in hunc librum explanandum curas suas contulerunt. Quod uti cuique horrori est, qui aliorum soleat celebratissimis nominibus parcere: ita mihi, qui invitus eo deveni, ut quos caeteroquin summe veneror atque suspicio, hos etiam erroris hîc arguerim, non tantum inexpiabili foret religioni, sed imperitiae simul nullâque de causâ suscepti laboris crimini. Cum enim supra edixerim, me in eorum, qui antecesserunt, conatibus ideo non acquievisse, quod multum abesse ducerem, ut verum ex omni parte putaverint: cumque eam ob rem liberius ipse, quam pro juvenili aetate, sententiam dicere aggrediar: nihil sane est, quod hujus incepti levitatem tollat, nisi illius judicii omnibus perspecta et confessa veritas. At maximopere dubitavi, an lectori cuique adeo notum esset, quid diverso tempore diversi de hoc libro statuerint, ut quam primum nostram opinionem, simpliciter expositam, accepissent, integre possent suâ sponte decernere, utrum novi quid, an obsoleta omnia, et si quid novi, an jure illud meritoque protulerim. Unde, cum necessario requiri arbitrarer, ut ejus rei facultatem ipse, quantum satis esset, una impertirem, incertus tamen haesi, quâ potissimum ratione id efficerem; nam triplex ratio se menti offerebat: ut, quae de aliorum senten-

tentiâ essent monenda, vel reliquae disputationi praemitterem, vel conjuncte referrem cum eo, quod probandum ducerem, vel denique, postquam hoc continuâ exposuissem serie, ea in exitu adjicerem. Atque altera quidem norma statim displicuit; nolui enim hianti isto ac dissipato commentandi genere fastidium facessere; quam vero tertio loco dixi, licet caeteroquin valde mihi arridentem, idcirco tamen initio neglexi, quod tum ad lectoris, tum ad nostrum commodum non aeque ac prima videretur apposita; quam si secutus fuissem, nimirum et ille instructior ad examinandam nostram sententiam accederet, et ipse brevius hanc, missis, quae jam per alios nota essent, explicare possem. Consilium ergo fuit, ita praefari, ut arguerem, ejusmodi esse, quae ad interpretationem Apoc. libri vel antiquitus vel recentiori aetate perscripta, ad nostram scilicet notitiam venissent, ut in singulis sane quam plurima reprehendenda, in nullo omnia soluta sint et expedita. Quod tamen ne sic intellige, ac si cogitaverim, integram absolutamque historiam exhibere, et una indicare, quid in conatu quoque justum sit, quid pravum atque vituperandum; ejus enim rei tanta facile conspicitur amplitudo, ut et meas longe vires superet et modicae scriptionis terminos; nae satis habui, summa notare capita, et si quae refellenda censerem, fundamenta disjicere, quibus extortis ipsa caderent. Quare, cum praestare videretur, ea, quae oblivione sepulta sunt, silentio fere transire, quorum adhuc existimatio viget, aut certe foret legitima, ea curiosius tractare: et de antiquissimis fusius exponere in animum induxi, et de illis, quae post Semleri maxime aetatem edita, acutioris longe et sanioris ingenii vestigia produnt, eorum, quae in medio sita sunt, leviter tacturus notissima. Quod dum persequerer propositum, cum Irenaei, caeterorum scripta, qui ad Constantini usque tempora, aut passim aut deditâ operâ, de hujus libri argumento cogitata sua expresserunt, accuratius perlustrassem, multa reperi, quae in hac causâ tanti sunt ponderis, ut nesciam, utrum magis mihi profuerint, ad errorum, qui dein sunt vervulgati, fontem detegendum, an ad id, quod jam ante putaveram, novo quodam robore stabiliendum. At simul expertus sum, praecipue cum Victorini Petabionensis, qui fertur, commentarium tractarem, quam difficile esset, ea quae plurima improbarem, sic refellere, ut non prius quam nostrae sententiae referendae locus foret, potissimas jam partes ejus edicere occupassem; unde, cum quo propius ad recentiores impugnandos devenissem, eo minus sentirem ejus incommodi subterfugiendi copiam futuram, necessario consecuturum vidi, ut vel deinde multa mihi essent inutiliter repetenda, vel caput ipsum disputationis tenue ac jejunum

 ex-

exsisteret. Ex quibus cum neutrum optarem, in mentem incidit, tertiam illam de aliorum interpretatione exponendi normam, quae initio jam valde mihi commendata fuerat, sic sequi, ut quod in primâ magis placuisset, id quodammodo cum eâ conjungerem; ita videlicet, ut et lectori introitus quidam pararetur, unde ad laborem nostrum severe aestimandum satis instructus progrederetur, et omnia tamen, quae ad justam refutationem pertineant, in exitu collocarentur. Hinc igitur priorem hanc partem in tria capita dispertire visum est, quorum in *primo*, longe brevissimo, nuda eorum sententia simpliciter proponetur, qui recentiori aevo prae caeteris laudabiliter hunc librum explicuerunt, et apud plurimos magnam auctoritatem nacti sunt, Hugonis Grotii, inquam, Herderi, Eichornii et Heinrichsii (*c*). Quibus quasi pro cote aut perpendiculo traditis, *secundum* caput, suâ sponte copiosius, id continebit, quod verum esse nos censemus. Ac tandem in *tertio* interpretationis historiam ita expedire consilium est, ut ostendamus, tum, quatenus antiquissimi quique ad Constantini usque tempora nobiscum consenserint, tum, quaenam causa effecerit, ut iidem, fere à principio inde et magis sensim magisque, multifariam à vero aberraverint; deinde, quantopere post illud spatium Mystica ratio, jam ab Origene inducta, invaluerit, et inter Afros praecipue recepta, cum rerum publicarum vicissitudinibus pedetentim amplificata fuerit; porro, quanto cum damno primum à Valdensibus, saeculo jam XII, ut videtur, tum à Franciscanis, saec. XV, ac dein unanimo fere consensu à Protestantibus, quidquid de Babylone ac de Belluâ istâ hîc nuntiatum est, ad imperium Pontificis Romani et ad hujus personam referri coeptum sit; cum ab eodem fere tempore, à saeculo certe XIV, celebratum illud inter posteros dogma aut ortum, aut potius ornatum fuerit, quod septem rei Christianae aetates hoc opere enucleate describerentur; denique, quid, eâ nocte repulsâ, cum post Semleri maxime aevum, suus huic libro honos restitutus, multaque ejus loca acute eleganterque explicata fuerint, quid, inquam, optimis etiam interpretibus videatur obstitisse, quominus verum ex omni parte persecuti sint.



CAPUT

CAPUT PRIMUM.

QUO, QUID GROTIO, HERDERO, EICHORNIO ATQUE HEINRICHSIO PLACUERIT, EXPONITUR.

§. I.

Grotii sententia.

Optimorum itaque interpretum sententias relaturus, Grotium silentio transire indignum duxi, tum propter insignem nominis celebritatem, tum quia primus ille, cum aequales fere omnes majorum somnia persequerentur, in veritatem studiosius inquisivit, ac rationem protulit, quae, multo minus nugatoria, ab omnibus, qui dein in eâdem materie cum laude elaboraverunt, aliquâ saltem ex parte probata fuit. Unde, postquam hanc in medio posuerim, facili flexu ad recentiorum placita pergi poterit.

Statuit igitur ille, Apoc. libro, non secus atque Hebraeorum Prophetarum voluminibus, diversas contineri visiones, quae diverso tempore aliae ex aliis Johanni Apostolo divinitus fuerint exhibitae: in duas autem partes majores totum opus à cap. inde IV. esse dispertiendum, quarum prior hinc ad caput XIV; posterior à cap. XV. ad clausulam usque pertineat; in alterâ vero ea haberi oracula, quae imperante Claudio, in insulâ Patmo, vati oblata ibidemque ab hoc conscripta fuerint; in alterâ eorum seriem, quae postea, imperante Vespasiano, Ephesi sibi impertita, in eâ urbe literis mandaverit. Ut ergo negavit, continuo necessitudinis vinculo omnia inter se nexa esse, ita singulorum etiam locorum pro temporis discrimine sensim indagandum esse argumentum censuit; quod, cum in rerum gerendarum descriptione versaretur, ita posse universe distingui, ut à cap. IV ad XI omnia visa ad *futuram rei Judaeorum conditionem;* inde vero ad finem capitis XX ad *Romani Imperii vicissitudines* exprimendas tendant; exitus autem libri, capita XXI

XXI et XXII, *statum laetissimum Ecclesiae Christianae* annuntiet. (*d*) Quae cum ille sumserit, ut commodam atque propriam sententiam restituere singulis posset, age jam paucis accipe, quomodo ea sit persecutus, et vide, an, his positis, difficultas e medio sublata sit.

Prima igitur capita à reliquis plane distinxit, ac statuisse videtur, partim iis introitum contineri et allocutionem, universo operi tum demum praemissos, cum varias ejus partes, diverso tempore conditas, in unum corpus auctor conjunxerit; partim, à cap. I: 9 oraculum quoddam peculiare tradi, omniumque primum in insulâ Patmo ei oblatum, quod non ultra quam ad tertii capitis finem pertineat. Quare jussum illud Jesu Christi, I: 11 et 19, in hanc sententiam accepit, ut nihil amplius vati mandatum fuerit, quam ut, quae *tum* vidisset atque audiisset explicari, I: 10—20, septem illis Christianorum familiis impertiret, ac simul Epistolas, quas ipse Jesus dictavisset, extemplo ad eos perscriberet. Harum itaque argumentum, cap. II et III, postquam pro suâ aetate eximie, hoc est, Grammatice atque Historice, expedivisset, ad eam vaticinationis partem progressus est, quâ in eâdem insulâ, imperante Claudio, literis consignatâ, Judaeorum maxime futura sors accurate praedicta fuerit; ita nimirum, ut, cum capita IV et V ad vaticinationem illam accipiendam lectores velut instruant, à cap. inde VI ab iis malis nuntiandis exordium ducatur, quae *ante bellum*, *cum Romanis gerendum*, ei genti essent infligenda.

Aperto itaque primo libri illius, quo futura continerentur, sigillo, VI: 1, *equitis Regii* imagine Christum putat designatum, qui ad causam suam vindicandam, Judaeorum calamitatis quasi auctor esset exstiturus.

Tum, colo 4, recluso altero sigillo, prodit omen eorum bellorum, quae Judaei cum vicinis aut eorundem oppidorum incolis gesserunt; quale fuit Beraeënsium cum Philadelphenis, cujus mentionem fecit Josephus, Antt. XX: 1. In his igitur λαβεῖν τὴν εἰρήνην ἐκ τῆς γῆς significat: *pacem demere ex aliquot tractibus terrae Judaeorum.*

Aperto sigillo tertio, col. 6, prodigium cernitur famis, quam reverâ Claudii aetate per *Judaeam* grassatam fuisse, ex testimonio Josephi iterum apparet.

Col. 8, quarto aperto, Mors prodit, vel ferro, vel fame, vel peste, vel ope ferarum *quartam gentis Judaïcae* partem exitio datura. Quod factum esse eo tempore, Grotius ex historia non probavit.

Col. 9, quinto remoto, clamor exstitit Christianorum, religionis causâ occisorum, ex.

ex. gr. Stephani, Jacobi, aliorum, à Deo excidium *Judaeorum reipublicae* petentium.

Col. 12. Sexto sigillo detracto, varia conspiciuntur malorum portenta, quae mox in bello, à Romanis inferendo, Judaeos essent invasura; cum autem ἡ γῆ, col. 15, horum terram significet, οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς dicuntur Agrippae filii et filiae; ἡ ἡμέρα autem ἡ μεγάλη τῆς ὀργῆς τοῦ θεοῦ, col. 17, est tempus expugnationis Hierosolymorum; quae poena nimirum, Judaeis à Deo inflicta, judicii ultimi veluti pignus fuerit.

Quae cap. VII. 1—8. sequitur, ornatior descriptio est, quâ simpliciter nuntiatur, fore, ut, antequam acrius urgere coepissent angustiae, Christiani ex periculo eriperentur, et fugâ salutem comparare possent. Colo igitur primo, αἱ τέσσαρες γωνίαι τῆς γῆς sunt *quatuor orae Judaeae;* cum vero Angeli dicuntur κρατεῖν τοὺς τέσσαρας ἀνέμους τῆς γῆς, ἵνα μὴ πνέῃ ἄνεμος ἐπὶ τῆς γῆς, μήτε ἐπὶ τῆς θαλάσσης, μήτε ἐπὶ πᾶν δένδρον, figurate expressum est, qualemcunque calamitatem, veluti caedem, morbos, pauperiem, ab iis retentum iri. Col. 4, numerus ille ρμδ̄ χιλιάδες infinitus est, nec quidquam aliud, quam Graecorum μυρίους, indicat. A col. 9—17 praedicitur, magnum solatium extorres istos ex Judaeâ Christianos habituros, cum innumeros visuri essent ex Gentibus suae fidei consortes: *Syria enim plena erat Christianorum.*

Jam his fugâ servatis, septimum sigillum, cap. VIII. 1, aperitur: quo facto septemplici tubarum cantu praecinuntur primum causae obsidii Hierosolymorum, dein obsidium ipsum atque expugnatio: colis autem 2—5 figurate monstratur, tandem ad poenas persequendas Deum paratum esse.

Ad primae igitur tubae cantum, VIII. 7, causa obsidii indicatur; nempe dura Judaeorum contumacia, χάλαζα, et iracundia sanguinaria, πῦρ μεμιγμένον ἐν αἵματι, per quas *tertia*, h. e. permagna pars civium ad bellum inflammarentur.

Ad tubam secundam, col. 8, eventum illud nuntiatur, quod à Jos., Antt. XX. 4, et de B. J. I. 20, memoriae proditum est; fore scilicet, ut milites, qui in arce Antoniâ essent, magnâ cum irâ effunderentur in populum Hierosolymitanum, τὴν θάλασσαν, et multos ex illis occiderent.

Ad tertiam tubam stellae cadentis imagine describitur impostor ille Aegyptius, de quo Act. XXI. 38. et ap. Jos. Ant. XX. 6 mentio facta est.

Ad quartam, obscuratione Solis, Lunae et siderum significantur Galilaeae aliorumque tractuum oppida, à Vespasiano capta, cum plurimorum Judaeorum interitu.

Jam Aquila, stragis symbolum, col. 13, triplex Vae Judaeis annuntiat, quod

par-

partim ad res, paulo ante obsidium gerendas, partim ad obsidium ipsum et ad expugnationem, partim ad ea, quae expugnatione posteriora essent, pertinuit.

Nam cap. IX, cum ad cantum tubae quintae ἀστήρ dicitur ἐκ τοῦ οὐρανοῦ πεπτωκέναι εἰς τὴν γῆν, falsus iste doctor, Eleazarus, Ananiae filius, significatur, qui ἤνοιξε τὸ φρέαρ τῆς ἀβύσσου, h. e., qui primus seditiosum dogma protulit: *Romanis non parendum esse;* quo factum, ut pessima illa Zelotarum factio exstiterit, quae locustarum imagine in sequentibus describitur (*e*).

A cap. IX. 13 autem describitur obsidium Hierosolymorum, a Romanis inceptum atque absolutum; colo enim 14, οἱ τέσσαρες ἄγγελοι, οἱ δεδεμένοι ἐπὶ τῷ ποταμῷ εὐφράτῃ, καὶ ἡτοιμασμένοι εἰς τὴν ὥραν καὶ ἡμέραν καί μῆνα καί ἐνιαυτὸν, sunt duces et custodes Vespasiani, Titi, Muciani et Tiberii Alexandri, quorum ingentes exercitus ad Euphratem usque pertingerent, quibusque cum diu consilium fuisset, Hierosolyma obsidere, res tamen Divino consilio dilata fuerat in tempus ipsi destinatum: quod vero horum copiae dicuntur δύο μυριάδες μυριάδων, id optime cum exitu convenit; nam praeterquam quod ipsae Romanorum legiones ingenti essent numero, multi etiam socii his additi sunt partim à Syriae civitatibus, partim ab Antiocho, Commagenorum Rege, partim ab aliis. Horum igitur vi cum, expugnatâ tandem urbe, permulti, τὸ τρίτον τῶν ἀνθρώπων, col. 18, misere periissent, reliquos tamen ad virtutis studium nondum redituros esse praedicitur, sed iisdem adhaesuros vitiis, quibus antea irretiti fuissent; (scilicet criminatio illa Idololatriae in *Judaeos hujus aetatis* improprie confertur, col. 20.)

Quare, cap. X., Angelus prodit, divinitus interposito jure jurando praedicans, col. 7, jamjam tempus instare, quo residua etiam Judaeorum turba delenda esset, atque omnis umbra civitatis eorum, quae adhuc remansisset, penitus e medio tollenda. Ad septimae tubae cantum id perfectum iri, ille nuntiat; quo tempore μέλλει τελεσθῆναι τὸ μυστήριον τοῦ θεοῦ, ὡς εὐηγγέλισε τοὺς ἑαυτοῦ δούλους τοὺς προφήτας, h. e.: » *quo Christianis per Hadrianum Hierosolymorum habitatio et liber Dei cultus* » *permitteretur, expulsis inde omnibus Judaeorum reliquiis. Unde futurum, ut,* » *nullis ultra Judaeis ad illam Ecclesiam accedentibus, post id Episcopus ibi esset* » *ex Gentibus; et si qui alibi essent Judaei, qui in Christum crediderant, ii fie-* » *rent accessio credentium ex Gentibus. Quae sicut summa fuit Christi de contu-* » *macibus Judaeis victoria et piorum consolatio, ita terminus est Apocalypseos de* » *rebus Judaïcis.*"

Hunc igitur exitum caput XI. persequitur. Quo primum referuntur fata urbis et

et templi ab expugnationis inde tempore; ex quo enim Hadrianus novam urbem ibi condidisset, et templum, Jovi Capitolino consecratum, in Sione posuisset, ad motus usque, à Barcochebâ concitatos, tres anni et dimidius exacti fuerint, col. 2; duo autem martyres illi, col. 3 seqq., figurate exprimunt duplex Christianorum genus, quod in urbe Aeliae fuerit; quorum alteri, quippe ex Judaeis orti, cum Mose comparantur; alteri, ex Gentibus collecti, cum Eliâ propter Idololatriae fugam. His igitur postquam maxime nocuisset θηρίον istud (col. 7.), Barcocheba, tandem ad septimae tubae cantum, col. 15, signum datur *Romanis* absolvendi Judaeorum excidii in urbe Aeliae; quo facto, coeli incolae, splendido hoc evento gavisi, jam canunt, regno potitum esse Messiam, (scil. *in oppido satis ignobili*) col. 15—19.

Sic itaque, cum ad finem usque Hierosolymorum et Judaïcae civitatis fata Johanni per visionem continuam exhibita fuissent, in eâdem hac priori parte ea sequuntur oracula, quibus Romani Imperii vicissitudines nuntiatae sunt.

Ac mulier quidem ea, quae cap. XII proponitur, est *Ecclesia Catholica*, supra caput habens Solem, h. e. *lucem Euangelii*, sub pedibus Lunam, *legem Propheticam*, et in capite coronam 12 stellarum, h. e. *Apostolos*, quae nimirum *parturiebat Jesu Christo civitatem Romanam* (col. 2.), id est: quae enitebatur, ut ad Christianam religionem Romanos perduceret. At Draco, Diabolus, praeses quasi Romae, huic incepto obstitit: *tertiam enim partem siderum secum traxit*, (col. 4.), h. e. tertiam, magnam, partem non plebis tantum sed optimatum quoque et doctorum malitiâ circumvenit, ope satellitis sui *Simonis Magi.* At Ecclesia tamen peperit υἱὸν ἄῤῥενα, col. 5, h. e.: nuntiatores Euangelii, ut Aquila, Apollos, alii, multos ex Romanis ad fidem Christianam perduxerunt; dum Petri ad persuasionem appositissima oratio tantam Romae vim habuerit, ut Diabolus, scil. ejus satelles, Simon Magus, nihil valeret; quo facto, malus iste Genius aliâ viâ incessit, et, col. 13, Neronem suscitavit, qui per varias terras Christianos dispersit, et omni ope se exstinguere studuit. Haec visio pertinet ad colon 16. A colo autem 17 ad finem usque cap. XIII. mala describuntur, quae Domitiani et Trajani temporibus Christianis illata sunt. Bellua igitur ista, XIII. 1, est imago *Idololatriae habentis decem cornua*, h. e., multos Reges sibi servientes, ut Reges Thraciae, Armeniae, caet., et *septem capita*, quibus (ex cap. XVII.) et septem Imperatores Romani designantur, et septem montes, quibus fundata fuit Idololatriae sedes praecipua. Descriptio autem, col. 2, 4, 5, 6, illius pertinaciam atque saevitiam declarat. Cum vero unum ex capitibus dicitur excisum fuisse, significatur Capitolii incendium,

 quod

quod, certantibus inter se Vitellianis atque Flavianis, magno cum Romanorum terrore locum habuit; Capitolio autem restituto, caput illud sanatum iri praecinitur. Spatium trium et dimidii annorum, col. 5, accurate convenit cum tempore, quod Domitianus in Christianos saeviit!

Altera illa bellua, col. 11, est Magia, quae Idololatriam sustentavit. Nomen autem, col. 18, est Οὔλπιος, hoc est: Trajanus, cujus aetate nimirum novas vires Idololatria sumsit, et maxime metuendam se obtulit. (Cogita vero, ut ex hoc nomine numerum 666 efficias, in fine non σίγμα sed στίγμα scribendam esse; quod facile largieris, si caeterum expedita esse difficultas visa fuerit.)

A cap. XIV. nova visio incipit, quâ iterum res praedicuntur, quae Trajani tempore futurae essent: ut partim, col. 1—5, nuntietur, ingentem jam tum Christianorum fore numerum, partim, col. 6—20, certissimis effatis atque ominibus declaretur, jamjam instare excidium Babylonis, h. e. Romae Paganae.

Adhuc ea capita perlustravimus, quibus oracula continerentur, Claudii aetate in Patmo vati oblata. A cap. vero XV eorum series infit, quae, Vespasiano imperante, Ephesi à Johanne visa fuerint. His igitur fata Imperii Romani, antea jam brevius tacta, fusius exponi putavit ad finem usque capitis XX. Quare poculis illis, à septem Angelis effusis, (XV. 1 seqq.) poenas contineri statuit, quae Romanis essent divinitus infligendae, postquam bella intestina Galbae, Othonis, Vitellii, Vespasiani jam requievissent, et Judaeorum motus in Syriâ et Aegypto jam sedati fuissent.

Cap. igitur XVI. 2. effuso poculo *primo*, praedicitur pestis, quae plus semel Romanos invasit inter Trajani et Constantini tempora. Effuso *secundo*, magna strages indicatur, eodem aevo Romae edita, per saevitiam Commodi, per seditionem, per incendia. *Tertio*, clades provinciis Romanis (τοῖς ποταμοῖς καὶ ταῖς πηγαῖς) illata per bella Albini, Nigri, Tetrici, Zenobiae, caet. *Quarto*, fames ingens sub Commodo, cujus tanta esset futura atrocitas, ὥστε καυματίσαι τοὺς ἀνθρώπους ἐν πυρί, col. 8, *ut hominum viscera velut igne adurerentur.* *Quinto*, praedicitur damnum imperii Romani, illatum à barbaris, Persis, Borramis, Gothis, Burgundis, aliis. *Sexto*, exhibetur adventus Constantini, *cum filiis ac ducibus*, (propterea enim plurali numero βασιλέων vates usus est, col. 14.) ad imperium sibi vindicandum; expressus autem locus est ex Jes. LI. 32, 36. Denique *septimo* poculo effuso, ingens ea rerum conversio nuntiatur, quae per Ostrogothos in Italiâ et in ipsâ urbe Romae concitata est, col. 17—21.

Jam caput XVII persecutus, puellam istam meretricem, col. 1, Romanum dici im-

imperium statuit; cujus Imperatores cum à Claudio inde numerare incipiat, (quoniam priores ignoti erant Christianis; scil. his, quibus liber inscriptus est, Asiaticis!) οἱ πέντε οἱ πεσάντες, col. 10; sunt Claudius, Nero, Galba, Otho, Vitellius; ὁ εἷς ὅς ἦν, Vespasianus; (quo igitur regnante, hanc visionem vati contigisse, manifesto patet!) ὁ ἄλλος, ὅς οὔπω ἦλθε, καὶ ὅταν ἔλθῃ, ὀλίγον αὐτὸν δεῖ μεῖναι, Titus; denique τὸ θηρίον, ὃ ἦν, καὶ οὐκ ἔστι, Domitianus, *alter nempe Nero*; qui cum dicitur ἐκ τῶν ἑπτὰ εἶναι, col. 11, significatur, eum fore *unius ex prioribus filium*; decem autem cornua, col. 12, sunt decem Reges, foedere inter se adversus Romanum imperium conjuncti, ut Gothorum, Vandalorum, alii; quorum impetus et saevitia col. 13 seqq. describuntur.

Capite XVIII carmen continetur de incendio Babylonis, hoc est: de clade, Romae illatâ à barbaris.

Capite XIX alia visio consignata est; cujus argumentum versatur in describendo triumpho, quem Jesus Christus, (nempe *disciplina ejus*) de Idololatriâ, Juliani tempore novis viribus auctâ, esset reportaturus; illa enim nomine τοῦ θηρίου, hic cum Proceribus suis, nomine τῶν βασιλέων τῆς γῆς, col. 19 indicati sunt.

Caput XX rursus aliud oraculum continet, quo tranquillitas et laeta conditio rei Christianae nuntiata est, quae, Constantini tempore initium nacta, Imperatorum, qui huic successerunt, operâ maximopere crevit. Hac igitur aetate Diabolus vinctus fuisse, col. 2., et martyres in vitam revocati dicuntur, col. 4 seqq., partim, quod Idololatria e medio sublata fuit, partim, quod tum demum copia data est Christianis, libere adeundi Martyrum monimenta, atque publicis honoribus eos prosequendi, qui jam cum Christo in coelo degerent, et in communionem imperii ejus venissent.

Cum vero mille annorum spatio id determinatur, sensus est, quod hoc exacto multi martyrum honoribus nimium essent detracturi.

Quod sequitur, fore, ut post mille annos Diabolus solveretur, id ad gentem Otsmanicam pertinet, quae mille annos post Constantini aetatem Christianorum terras invasit, et quoquoversus cladem intulit. Col. autem 9, ἡ παρεμβολὴ τῶν ἁγίων dicuntur urbes illae, ad quarum incolas Apoc. liber perscriptus est, quae plurima mala à Turcis perpessae sunt; ἡ πόλις vero ἡ ἠγαπημένη est Constantinopolis!

Quae in ultimâ parte coli noni et in hoc capite ultra leguntur, iis *futurum adhuc* Turcarum exitium ac judicium supremum descripta sunt.

Denique quae, capitibus XXI et XXII, continetur visio singularis, ea statum lae-

 tis-

tissimum rei Christianae iterum, sed longe enucleatius et splendidius exhibet; nimirum agitur de iis temporibus, quae inter Constantini et Juliani aetatem interjecta fuerunt. Urbs autem Hierosolymorum figurate dicitur societas Christiana.

Haec igitur, quae ex Grotii commentario excerpta paucis praecidi, sufficiant ad summi viri opinionem, sane non admodum probabilem, aliquâ ex parte cognoscendam. Quam si ipse non senserit, magis argutam esse plerumque et temerariam quam veram atque circumspectam, sensit certe difficile ad explicandum esse, quomodo vates, postquam diversas has visiones in unum condiderit corpus, in introitu scribere potuerit: Ἀποκάλυψις Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἣν ἔδωκεν αὐτῷ ὁ Θεὸς, δεῖξαι — ἃ δεῖ γενέσθαι ἐν τάχει, et in colo tertio: Μακάριος ὁ ἀναγινώσκων — ὁ γὰρ καιρὸς ἐγγύς (f).

§. 2.

Herderi sententia.

Missis itaque, quae post Grotium alii aliter, in his Bengelius et Wetstenius, de Apoc. libri argumento statuerunt, ad Herderi sententiam breviter exponendam progredior; cujus elegantia sentiendique alacritas ut literato cuique notae sunt, ita ex eo etiam scripto evidenter pellucent, quod super materie, in quâ versamur, condidit (g). Nam etsi multum absit, ut existimem, eum universe verum putasse: incredibile tamen est, quantum contulerit, ut poëtico libri colori suum et jus et pretium constaret. Unde non miror, quod plurimis, doctrinâ atque humanitate conspicuis, ratio ejus et statim ita placuerit, et nostro etiam tempore placeat, ut prorsus fere in eâ acquiescere non dubitent, ac frustra esse eum opinentur, qui in alia, quae tandemcunque sint, discesserit.

Censuit igitur Herderus, cum ex ipso introitu, I. 3, jam pateret, voluisse auctorem videri de eventis vaticinari, quae suâ eorumque ad quos scribit aetate futura essent: secus concludi non posse, quin aut falsus fictusque liber sit, aut, si divina oracula vere contineat, res praedictae paucorum annorum spatio exitum nactae fuerint. Quorum uti posterius se efficere studuit, ita Johannem Apostolum auctorem esse pro certo habuit, qui *Neronis tempore*, in insulam Patmum deportatus ac Divino instinctu de rebus brevi gerendis edoctus, ad Christianos illos Asiaticos hoc opus perscripserit: argumentum vero, non in diversas particulas dispertiendum, sed unum atque integrâ serie ad finem usque procedens, totum fere ver-

versari in descriptione malorum, quae Iudaeorum terrae instarent, nec prius finirentur, quam cum Hierosolymorum excidio omnis eorum civitas dissoluta fractaque fuisset. Cujus *vaticinationis* cum membra quaelibet tam accurate cum rebus ipsis, dein gestis, convenire statuerct, ut melius explicari non possent, quam ipsius historiae, à Josepho traditae, luce adhibitâ: tum hoc inprimis animadverti voluit, quod et universe per omnes libri partes, ct praecipue in exitu, cum Hierosolymorum excidio arctissime conjuncta proponantur regni Messiani auctior longe et splendidior status, vel potius tum demum condendi magnificentia, judicium supremum, ac piorum aeterna bcatitas: similiter atque Jesus Christus et alibi et in eâ oratione, quae Matth. XXIV literis consignata est, haec eventa cum illo sic connexuerit, ut continuo viderentur se invicem csse cxceptura.

Accipe jam, quomodo, his positis, singillatim cuncta explicuerit; ordicmur autcm ab eo loco, a quo ipsa futurorum praedictio incipiat.

Libri igitur, quo vclut fatorum Codice tristis Judaeorum sors et consecutura rei Christianae amplificatio continerentur, V. 1 seqq., aperto sigillo *primo*, VI. 1, equus albus, quique huic insidet victor, omina sunt triumphi, quem de Herode Antipâ, Galilaeae Tetrarchâ, reportavit Arctas, Arabiae Petraeae Rex. Conf. Jos. Antt. XVIII. 5.

Ad sigillum *alterum* nuntiantur motus intestini, scditio et multiplex calamitas, quam Judaei sibimet ipsi concitaverunt, aut à Procuratoribus Romanis perpessi sunt, ad illud usque tempus, quo fames eorum terram invasit. Conf. Jos. Antt. L. XVIII. 14, 17. XX. 2, 13, 14, 15 caet.

Ad *tertium*, col. 5, famcs praedicitur, quae Claudii aetate grassata fuit. Act. XI: 28; Jos. Antt. XX: 2, 3.

Ad *quartum*, col. 7, portentum prodit malorum, partim à praedonibus et latronibus illatorum (Jos. Antt. XX.) partim, quac ex fame necessario apta fuerint.

Ad *quintum*, significatur caedes Christianorum, à Judaeis patrata, uti Stephani, Jacoborum, caet. conf. Jos. Ant. XX: 8.

Ad *sextum*, praedicuntur non tantum *signa* illa, quae in coelo, et *voces*, quae in templo cum gravi Judaeorum terrore exstitcrunt; conf. Jos. de B. J. VI: 31, VII: 31; sed etiam, demtâ imagine, oppressio nobilium et optimatum, à Gessio Floro et ab aliis instituta; conf. Jos. Ant. XX de B. J. II. 14, 15.

Cap. VII: 1—8 praecinitur cura Divina, quâ Christiani à calamitate, quac Judaeorum genti inflicta est, mirum in modum servati sunt; deinde vero à 9—17 eorum

rum felicitas eximie describitur, qui jam in coelo versati, virtutis atque constantiae praemia tulissent.

Septimo sigillo aperto, VIII: 1, postquam saevo omine, 3—5, nuntiatum esset, nihil nisi continua mala, atque tandem extremum excidium exspectanda esse Judaeis, septemplici tubarum cantu eae exhibentur aerumnae, quae ante obsidionem urbis, à Romanis inceptam, miserae genti perferendae fuerunt.

Prima igitur tuba, VIII. 7, canit seditionem, inter Judaeos saepenumero ortam, et cladem, igni ferroque iis illatam à Gessio Floro; Conf. Jos. de B. J. II. 13, 14, 16—18 et VII. 8.

Altera praedicit occidionem, quae ad lacum Tiberiadis facta est; unde *mare istud* sanguine tinctum fuisse dicitur, col. 8; conf. Jos. l. l. II. 18; III. 15—17.

Ad *tertiam* acre ingenium Eleazaris, Zelotarum Principis, qui totius belli auctor exstitit, imagine describitur stellae, quae tertiam partem aquae amaram reddiderit. Jos. l. l. II. 17.

Ad *quartam*, VIII. 12, indicatur, eo usque hujus Eleazaris ferocitatem atque impotentem tyrannidem esse processuram, ut Optimates Hierosolymitani, *Sol*, *Luna et Sidera*, omni auctoritate destituerentur. — Jam col. 13 aquila *Romana* triplex vae imprecatur rebellibus!

Quinta tuba praecinit vastitatem illatam a *praedonibus* et *sicariis*, per quinque menses (IX. 5.), quibus cunctatus fuerit Vespasianus in Judaeâ; *stella* autem *cadens*, col. 1, est Manaïm, Judae filius, (Jos. l. l. II. 17.); *dux* ille *Abaddon*, col. 11, est Simon Gorionis filius.

Ad *sextam* tubam describitur clades, Judaeorum terrae infligenda à *Romanorum* copiis. Nimirum ab Euphrate inde suas legiones contraxit Titus, col. 15; atque horror, quem earum adventus Judaeis incusserit, non melius potuisset exprimi, quam à vate col. 16 et 17 factum est. Ab his igitur cum jam per aliquod temporis spatium in miseram gentem saevitum, atque complures aut caesi aut ad extremas angustias redacti fuissent, col. 18, reliqui tamen ad tranquillitatem non redierunt, sed scelera sceleribus accumulando, col. 20, 21, sibimet perniciei auctores fuerunt.

Quare, cap. X., Angelus ille, e coelo descendens, divinitus indicat, jam omnem moram sublatam esse, atque Hierosolymorum excidium mox iri absolutum. Cap. autem XI praecinuntur motus intestini, qui per tres et dimidium annos, quibus à Romanis urbs obsessa fuerit, civium calamitatem magis etiam auxerunt, et saevitiâ

tiâ

tiâ paene hostium impetum superarunt. Τὰ ἔθνη igitur, quae col. 2. dicuntur πατήσειν τὴν πόλιν τὴν ἁγίαν, non sunt Romani, sed Judaei ipsi, contemtus causâ sic vocati, qui, ducibus Zelotis et praedonibus, maximam moverunt turbam. His autem *Ananus* et *Jesus*, Pontifices Maximi, viri admodum probi et integri, quantum potuerunt, restiterunt col. 3—6; at hos etiam τὸ θηρίον, τὸ ἀναβαῖνον ἐκ τῆς ἀβύσσου, h. e. *seditio ista furibunda*, *quae Idumaeis portam urbis aperuit*, tandem confecit, et misere caesos ne sepulturae quidem honore dignos censuit. Conf. Jos. l. l. IV. 6. Quae sequuntur col. 11—13, Herderus ex historiâ non explicuit!

Tandem *septima* tuba canitur; quo facto coeli incolae eximio modorum concentu declarant, absolvendae poenae tempus adesse, atque regnum Messiae mox stabilitum iri, col. 15 seqq.

Difficile est ad exprimendum, quomodo omnia, quae cap. XII praedicta sint, Herderus explicuerit. Nam obscuro usus est dicendi genere; nimirum, credo, quod ipsa notio ejus non satis expedita fuerit. Hoc vero constat, eum putasse, his symbolice nuntiari salutem Christianorum atque Judaeorum pietate caeteris eminentium, qui, fugâ sibi salutem comparantes, in ditionem Peraeensem evaserunt; ubi tuti atque integri per omne illud spatium commorati sunt, quo innumera atque intolerabilia mala Hierosolymitanos afflixerunt. Colores autem petitos esse censuit ex ipsius Jesu, recens nati, historiâ,

Cap. XIII. θηρίον illud symbolum est *tyrannidis opprimentis*, quae per tempus *obsidii in urbe truculentissime saeviit;* Zelotarum igitur furor et sanguinaria crudelitas, quae tantorum malorum causa exstitit, tanquam homo hic proponitur, qui, velut Diaboli satelles, ab hoc omnem potestatem suam acceperit, col. 2; qui, ab Anano atque Jesu, Pontificibus maximis, letali quodam vulnere olim confossus, post horum necem novas vires novosque animos sumserit, col. 3; quem omnes praeter pios Dei cultores honore atque reverentiâ prosecuti sint, col. 4, 5; qui impius quam maxime et in Deum rebellis, templum sanguine et mortuis repleverit, et *ipse se adorandum exhibuerit*, h. e. qui universis tantum terrorem incusserit, ut nemo ei resistere auderet; qui denique omnes intenderit nervos, ut, quod bonum esset et honestum, e medio sublato, quamcunque libidinem et insolentiam aleret et amplificaret, col. 7 seqq. Imprimis vero hic Zelotarum furor belluae imagine exprimitur, quod princeps eorum fuit Simon, Gorionis filius, qui *post mortem Anani* in urbem intravit, et genti cladem ineffabilem concitavit.

Quae col. 11 sequitur altera bellua, figurate exprimit *Pseudoprophetas*, qui

mul-

multi numero tunc temporis in urbem se insinuaverunt, et incolas inanibus promissis laeti exitus fallentes, ad auctoritatem Zelotarum agnoscendam admonuerunt; hoc enim indicatur col. 12—17! Ejusmodi igitur falsos doctores complures fuisse, ex historiâ patet; at praecipue tamen hac imagine insignitus fuit *Johannes Levi*, qui juxta Simonem, Gorionis filium, in obsessâ urbe dominatus est!

Jam igitur rogas, quomodo numerum illum χξς, XIII. 18, explicuerit? Sensit ipse Herderus difficultatem. Monet ergo in antecessum, uti Hierosolymorum expugnatio per totam hanc vaticinationem arctissime conjungitur cum regni Messiani splendidiore statu et propagatione: ita istas imagines *tyrannidis* et *falsae doctrinae* simul symbola esse *adversariorum Jesu Christi;* quo posito, sic posse monogramma hocce expediri, ut χς sit compendium scribendi nominis Χριστός; quas literas à se invicem discernat signum *Draconis*, ξ, h. e. signum ejus, qui et omni aetate, et inprimis tempore obsidii Hierosolymorum causae Christi adversatus sit. Sic scilicet numerus ille ἀριθμὸς ἀνθρώπου fuit! Alterum ejus difficultatis expediendae conatum non prorsus intelligimus, forte quod non tantum Arithmetices periti sumus, quantum Christianos illos, ad quos vates scripserit, fuisse merito Herderus crediderit (*h*)! Tertia explicandi ratio haec est, ut numerum 666 Hebraïce efferas literis תרסו; quibus inter se transpositis, exeunt nomina vel סתור μυστήριον, vel סרות ἀποστασία, quae egregie cadunt in monstrum illud! Denique idem numerus Hebraïcus numerus est nominis *Simonis* (שמעון) si scilicet praefixeris literam ר״, quae compendium scribendi sit tituli *Doctoris*. Sic igitur quatuor conveniunt, quae luce clarius ostendunt, belluam illam et *Zelotarum furoris* universe et *Simonis*, *Gorionis filii*, singillatim personam gerere.

Quae cap. XIV sequitur, tabula picta est, quâ miserae conditioni Hierosolymorum egregie opponitur felicitas cultorum Jesu Christi, qui, fugâ erepti periculo, tuti erant et à malo immunes: col. 1—5.

Col. 6 seqq. continetur praedictio certissima, *Hierosolyma* peritura esse; haec enim *Babylon* dicuntur, prorsus uti in superioribus, XI. 8, dicta jam fuerant *Sodoma* et *Aegyptus*.

Col. 11 seqq. figurate indicatur, mox excidium urbis instare; ipsum enim Jesum Christum paratum esse ad poenas persequendas.

Jam igitur finis describitur à cap. XV. Quae autem sequuntur mala ultima, expressa sunt ex iis, quae Aegyptiis aetate Mosis acciderunt: unde etiam Christiani sospites idem carmen canere dicuntur, quod olim Israëlitae ab alterâ parte maris ru-

rubri cum Mose cecinerant. col. 2—4. At omnia tamen mirum quantum conveniunt cum tristi *Hierosolymorum* sorte, quo tempore à Romanis capta sunt.

Nimirum effuso poculo *primo*, XVI. 2, figurate praecinitur, ipsos omnium malorum auctores, Zelotas seditiosos jam misere experturos esse, qualem sibi suisque calamitatem struxerint. Effuso *secundo*, Hierosolyma sanguine exundant. *Tertio*, fontes et cisternae cruore obruuntur, ut aqua desideretur. *Quarto*, postquam arx Antonia jam à Romanis capta, et incendio omnia deleri coepta sunt, nondum tamen rebelles à contumaciâ desistunt, sed magis etiam magisque Romanos irritant. Jos. l. l. VI: 2—5. *Quinto* effuso, ipsum templum, Zelotarum sedes, capitur et flammis aduritur; at illi nolunt Romanis se tradere, sed in obscuras ejus latebras se occulunt. Jos. l. l. VI. 6. *Sexto*, in ultimo adhuc periculo Zelotae conantur exteros in auxilium vocare; hujus tamen rei descriptio, col. 12—16 facta, sane quam contorte ex historiâ explicatur; putat enim Herderus, ab Hierosolymitanorum fatis ad eorum conditionem exhibendam transiri, qui in arcem Masadae inclusi, penitus à Romanis deleti sunt; conf. Jos. l. l. VII. 28.

Tandem *septimo* poculo effuso, col. 17 seqq., expugnatio et excidium urbis describuntur. In colo igitur 19 ἡ πόλις ἡ μεγάλη et Βαβυλὼν ἡ μεγάλη non duas urbes, sed unam (Hierosolyma) significant; at αἱ πόλεις τῶν ἐθνῶν sunt *palatia Regum exterorum*, in eâ urbe structa!

Quae capite XVII continetur imaginum ante exhibitarum explicatio, ea egregie confirmat, iis *Hierosolymorum excidium*, *et Judaeorum fata* expressa fuisse. Meretrix igitur ista, ἡ καθημένη ἐπὶ τῶν ὑδάτων τῶν πολλῶν, μεθ᾽ ἧς ἐπόρνευσαν οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς, καὶ ἐμεθύσθησαν οἱ κατοικοῦντες τὴν γῆν ἐκ τοῦ οἴνου τῆς πορνείας αὐτῆς, col. 1, 2, ἡ περιβεβλημένη πορφυροῦν καὶ κόκκινον, κ. τ. λ. col. 4, 5, 6, 15, 18, est *Hierosolymorum* urbs, caput Judaeae, ex quâ, tamquam ex largo fonte, cujusvis sceleris atque impietatis labes eo tempore ad *adjacentes urbes* et *vicinas regiones* dimanavit, quaeque uti optimorum quorumque, ita etiam Christianorum sanguine miserum in modum polluta fuit. Quod vero ad belluam istam attinet, col. 3, alio quodammodo colore picta est, ut ne amplius de *Simone*, *Gorionis filio*, cogitares, sed unice teneres universam notionem, quam antea simul expressit, *seditionis furibundae atque insolentissimae;* hoc igitur θηρίον cum sic describitur, col. 8: ἦν, καὶ οὐκ ἔστι, καὶ μέλλει ἀναβαίνειν κ. τ. λ., opponitur nomini Divino: ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, ac figurate tantum indicatur, imperium illud *seditionis* non diu substiturum, ac merâ modo specie per aliquod tempus vim suam esse prae se laturum; *septem* vero *capita* ejus cum

 di-

dicuntur ἑπτὰ ὄρη, ὅπου ἡ γυνὴ κάθηται ἐπ' αὐτῶν, septem significantur colles, super quibus Hierosolyma fuerunt structa, col. 9; *Septem* autem *Reges*, *quorum quinque tum ceciderant*, *unus adhuc erat*, *alter brevi erat venturus*, sunt *septem Pontifices maximi*, *qui Judaeorum sacris praefuerunt ab eo inde tempore*, *quo motus intestini maxime exorti sunt; ab initio igitur imperii Neronis ad obsessa usque Hierosolyma;* quinque illi, qui, quum hic liber ederetur, jam caesi erant, sunt *Jonathan*, *Ismaël*, *Josephus*, *Ananus Anani filius*, et *Jesus;* sextus ille, qui vivebat adhuc, *Jesus*, *Gamaliëlis filius*, qui anno post C. N. LXIII eâ dignitate ornatus est; quo igitur aut insequenti anno patet, hoc opus prodiisse! Septimus dicitur *Matthias*, ultimus scilicet ex genere Sacerdotali; quo defuncto, *ipsa bellua*, col. 11, hoc est *Seditio*, *Pontificis Maximi auctoritatem sibi arrogavit*, *et in turbulentâ rerum conditione omnia gubernare coepit. Decem* autem *Reges*, col. 12, sunt decem Toparchae, inter quos Judaeorum terra, quo tempore bellum cum Romanis gestum erupit, divisa est, quosque ex historiâ apparet, cum *Seditione* conspirasse ad exitium Hierosolymorum col. 13—17.

Jam cap. XVIII carmen sequitur partim triumphale partim Elegiacum, super expugnatae urbis interitu.

Cap. XIX: 1—10 itidem continetur carmen, sed à coeli incolis dictum, ex cujus argumento patet, hos Hierosolymorum excidium arctissime connexuisse cum religionis Christianae flore ac progressu laetissimo.

Col. 11 seqq. proponitur Titi, captam urbem intrantis, pompa triumphalis; cujus tabulae colores ita se habent, ut manifestum sit, hanc ei subesse sententiam, quod in expugnandâ delendâque Judaeorum republicâ non suâ sponte Titus egerit, sed Dei velut atque Jesu Christi personam sustinuerit.

Col. 17 seqq. miserrima Hierosolymorum, postquam capta fuissent, conditio describitur; col. 20 exitus praedicitur Simonis, Gorionis Filii, et Johannis Levi, qui vivi inciderunt in Titi potestatem; ac col. 21 infinitus ille hominum numerus exprimitur, qui Romanorum operâ cruentâ morte occubuerunt.

Sic itaque, prorsus absolutâ vaticinatione de Hierosolymorum interitu, proxime cum eâ conjungitur, cap. XX, tranquillitatis perfectissimae, quae olim in ipsâ hac terrâ exspectanda est, descriptio; providit vates aetatem illam, quâ tandem omne certamen inter bonum et malum tolletur, atque illi integer suus constabit honos; quâ Diabolo omni ademtâ vi, ipsoque in tenebras dejecto, col. 1—3, pax et quies toti continget terrarum orbi, atque ii etiam felicitate hac fruentur, qui antea enixe studuerint

erint, ut causae Dei atque religionis Christianae prodessent. His enim ante reliquos mortuos jam tum in vitam suscitatis, aetas illa beatissima humano generi exsistet, quae, uti ultima annorum χιλίας futura est, ita vero nomine χιλίας *Sabbatica*, h. e. quietis, dici poterit; eo autem spatio ad finem perducto, per breve tempus *iterum prodibit Satanas*, col. 7, h. e. pugna inter bonum et malum, mille annos e medio sublata, perditi istius genii conatibus, aliquamdiu restituetur; verum mox divinitus repressa atque exstincta, ita penitus concidet, ut hujus ne umbra quidem amplius conspiciatur, illud unum valeat, ac novis viribus auctum, in aeternum florescat; jam enim finis huic rerum ordini imponetur; judicii ultimi dies aderit; mortui omnes in vitam revocabuntur; prouti cujusque fuerint mores, cuique aut aeterna felicitas, aut aeternum exitium assignabitur; nova exsistent coelum et terra; antiqua omnia transibunt; splendida erit beatorum conditio. In his igitur describendis vates versatur à cap. XX: 11 seqq., atque inprimis in magnificâ sorte, quae bonis exspectanda est, illius oratio exsultat et triumphat, cap. XXI et XXII. 1—5. Quae inde sequuntur et ad clausulam libri pertinent, eum in finem sunt adjecta, ut ne de rerum praedictarum exitu quisquam dubitaret.

At quare, roges, haec, quae à cap. XX canuntur, quaeque eventu ne adhuc quidem comprobata sunt, ita vates proposuit, ac si statim Hierosolymorum excidium essent exceptura? Scilicet, ait Herderus (*i*), quoniam divinitus sic ipsi patefactum fuit. At quare igitur Deus hanc spem, quam tempus esset frustraturum, Christianis impertiendam curavit? Nimirum, ut quamdiu respublica Judaïca integra esset, per eam sublevarentur et animos sumerent; Hierosolymis autem deletis, scirent quidem, rem, quae simul nuntiata fuisset, non minus certo ad exitum iri perductum, at ignorantes tamen, quo tandem anno et quo die, semper se paratos servarent, et laetâ exspectatione fulcirentur.

Haec igitur Herderus; cujus cogitata si qui aut ex omni parte aut universe probaverunt, melius certe, quam ille, cum multiplicem difficultatem apud animum suum expediverint, necesse est, tum hanc imprimis, quâ de causâ liber, hoc argumento praeditus, ad septem coetus *Asiaticos* perscriptus fuerit, et quo pacto ab iis potuerit intelligi, vel tum cum res praedictae, sic ut Herderus explicuit, accurate et singillatim evenissent (*k*).

§. 3.

Eichornii sententia.

Herderi interpretationem multis placuisse, supra dixi; at longe pluribus ea ratio se commendavit, cujus breviter ob oculos ponendae perdifficilem sane provinciam nunc suscipimus. Uti enim pro eo, quo praeditus erat, ingenio artificiosissime Eichornius studuit, ut artificiose conditum esse Apoc. librum probaret: ita disputatio ejus tam presse cohaeret plerumque, ut, qui paucis illam contrahat, ei periculum sit, ne parum intelligatur; qui vero enucleate vellet singula expedire, ei integra auctoris verba sexcenties essent describenda. Quare lectorem rogo, ut, si alterum acciderit, quoniam alteri locus dari non nisi perraro potuerit, ipsum celebratissimi viri commentarium adeat, et leviter degustata inde perdiscat; nec, puto, ejus rei poenitebit; licet enim ridicule magis quam vere de universâ operis sententiâ eum pronuntiasse existimem, plurimas tamen particulas tam eleganter et acute explicuit, ut inter optimos interpretes merito ac jure annumeretur.

Statuit igitur, auctorem libri esse Johannem Apostolum, à quo, expugnatis jam Hierosolymis, Vespasiano imperante, conscriptus fuerit (*l*). Unde, cum ultro quidem augureris, eum in aliâ plane re, quam in illius urbis interitu praedicendo, argumentum versari, censuisse: dubito tamen, an ipsam ejus opinionem aeque facili conjecturâ mente anticipare possis. Nimirum hoc fuisse *poëtae* consilium coëgit, ut *religionis Christianae triumphum, de Judaïca et de Ethnicâ religione aliquando reportandum*, composite, ornate et splendide velut rem gestam in scenâ exhiberet. Quod quomodo huic in animum inciderit, et quare sic, uti perfecerit, perficiendum sibi proposuerit, ab ipso Eichornio accipe; cujus cogitata haecce frustra in compendium redigere conatus sum: » Quod in visorum descriptionibus antiquiores Prophetae legebantur in statu ecstatico in coelum abrepti res futuras, ante eventum ad actum revocatas et repraesentatas, suis oculis objectas conspexisse, id hanc vim habuit et effectum, ut ex eo colligeretur, nihil in orbe terrarum evenire et contingere, quod non antea coram Deo coelitumque consessu in theatro coelesti repraesentatum fuerit et spectandum datum: quâ ipsâ persuasione campus apertus est, in quem poëtarum ingenium et comminiscendi libertas evagaretur et excurreret quam latissime. Enim vero cum antiquioribus Hebraeorum poë-

poëtis in more esset, futuras rerum conversiones, à Prophetis praenuntiatas, suis verbis digerere, ornare et multâ arte amplificare ita, ut variâ et multiplici formâ, jam pedestri, jam cothurnatâ oratione, et poësi sublimiore repetitae, hymnisque fabulis et narrationibus intextae, omnium animis inculcarentur et imprimerentur quam altissime: quid quaeso impediebat, quo minus eaedem etiam in actum revocatae longiorum et justorum dramatum argumenta fierent, quibus dramata apud coelicolas, uti credebatur, frequentata imitatione exprimerentur et de coelo quasi in terram deducerentur?

» Verum, quanquam rerum in statu ecstatico Prophetis objectarum repraesentationes breviores et coelestium dramatum quasi particulae et fragmenta in recensione oraculorum Hebraeorum nobis superstite non rara sint; talis tamen cum arte elaborati poëmatis et justi atque integri dramatis coelestis vestigium et exemplum nullum habemus aerâ Christianâ antiquius, ut adeo incertum sit, num prophetica Hebraeorum poësis antiquior drama propheticum justum et perfectum unquam tentaverit; quid? quod in dubitationem vocare licet adeo illud, an ipsa illa de rebus omnibus ante eventum in coelo coram Deo et coelicolis ad actum revocatis et repraesentatis persuasio, seu opinionis commentum, tempus ante Christum natum antiquitate multum antecedat; quo posito nec drama aliquod propheticum, illi opinioni superstructum, ex tempore Christo nato antiquiore exspectari licebit. Atque haec suspicio augetur omnino et adjuvatur eo, quod nec veteres populi Orientales justi dramatis notionem animis suis informasse videntur, nec ipsis Judaeis eam innotuisse probabile est ante suam cum Graecis et Romanis consuetudinem, eorundemque in Judaeos imperium. Ab hoc autem tempore, uti in reliquis, veluti in linguâ, moribus, institutis ad Graeca Romanaque exempla se prorsus composuerunt, ita idem etiam in dramatis amore et laudibus factum esse credere licet.

» Sed, quod singulare est in omni animi et ingenii cultu, qualis inter Judaeos fuit, ut ultra terminos religionis et disciplinae Mosaïcae, quam profitebantur, et philosophiam illi superstructam non progrederentur, sed illi potius ornandae et amplificandae, quidquid domesticis literarum copiis accedebat, adaptarent: idem illud in dramaticâ poësi obtinuisse non est improbabile. Nuspiam enim legere me memini, argumentum eos vulgare, et e vitâ communi petitum, in actum unquam revocatum et dramaticâ arte elaboratum in scenâ exhibuisse, sed argumenta tantum sacra, et rerum inprimis futurarum denunciationes in dramatis modum declarasse

et quasi in theatro coelesti repraesentatas, verbis descripsisse videntur. Ita saltem ex unico dramaticae poëseos exemplo, inter sequiora Hebraearum literarum monumenta servato, judicare licet.

» Est autem illud *Apocalypsis Joannëa*, drama omnino singulare et in suo genere unicum, seu potius dramatis, figuris et signis expressi et intermixtis soliloquiis, precibus, hymnis, colloquiis coelestibus distincti, ornati et amplificati descriptio, in quo oraculum de religionis, quam dicunt, Christianae, fatis et casibus, in Novo Testamento ubivis obvium, et ab ipso primum Jesu Christo cum disciplinae suae alumnis communicatum, deinde vero ab Apostolis saepe repetitum, ad actum revocatum, et signorum, symbolorum figurarumque aenigmatibus declaratum et in scenâ coelesti exhibitum est. Enimvero ipse Jesus spem, in quam certissimam ingressus erat, publice saepius professus est, fore, ut aliquando disciplina sua omnibus, quibus ab initio impediebatur, molestiis et difficultatibus feliciter superatis, sola regnet, et longe lateque propagata hominum animos ac mores ita corrigat et emendet, ut aeterna olim potiri possint felicitate, sub suum in fine mundi reditum hominibus piis et probis futurâ.

» Jam disciplinae Christianae, ne laetos auctus caperet et incrementa, à duplici, quae tum per terrarum orbem dominabatur, superstitione impedimenta objiciebantur et difficultates maximae, à Judaïsmo, puta, et Ethnicismo sive Deorum cultu; nec poterant, qui eam profitebantur, securi et à periculis immunes dici, quamdiu maxima tum Judaeorum cum Gentium pars à suâ disciplinâ aliena erat. Fieri igitur non potuit, ut religio Christiana longe lateque propagata libere regnaret, nisi devicto quasi et oppresso antea Judaïsmo pariter ac Gentilitate. Itaque hanc Jesu Christi de suâ disciplinâ conceptam spem et expectationem ad actum revocaturo necesse erat, ut rebus in oculos non incidentibus, cujusmodi est disciplinae alicujus propagatio et amplificatio non minus quam abolitio et exstirpatio, res substitueret alias in sensus incidentes, quae earum notionem excitarent. Nec illae diu circumspiciendae et cum difficultate quaerendae erant. Cum enim religio Christiana ex perpetuâ Novi Testamenti loquendi ratione, dicatur *imperium Jesu Christi in his terris*, consequens erat, ut Judaïsmus pariter ac Gentium superstitio commode possent *duo alia imperia* nominari et declarari, quae cum Jesu Christi disciplinâ de principatu certarent et contenderent. *Imperii* autem notio commodiori vix potuit et significantiori emblemate declarari, quam *urbis primariae* sive metropolis symbolo et signo, quae imperii sedes vel vere est, vel pro

pro eâ haberi potest. Quare viâ facili perventum eo est, ut Judaïsmus *Hierosolymis*, Gentium autem superstitio *Româ* exprimeretur, et utriusque religionis abolitio atque exstirpatio ipsâ urbium memoratarum expugnatione et eversione in theatro repraesentaretur, quâ factâ disciplina Christiana libere regnare, et longe lateque propagari potuit, donec regnum Jesu Christi coeleste, illudque aeternum duraturum, cum ipso Jesu Christi in fine mundi reditu initium caperet, hoc est, donec nova imperii sedes, *Hierosolyma coelestia*, prodirent" (*m*).

Hoc itaque, si Diis placet, coeleste drama, vix credibile est, quantâ arte ab Johanne elaboratum fuisse, Eichornius putaverit. Namque primum universum opus accurate ad leges fabulae Scenicae exactum esse, et partes singulas tam bene inter se cohaerere voluit, ut quemadmodum prologum prolusio, prolusionem varii actus, et actus ipsos Epilogus composite excipiant: ita singulae etiam scenae singulaque exodia sibi invicem plane respondeant; deinde, omnes particulas, vel minutissimas quasque, sic plerumque eleganter ac vario ornatu excultas esse, ut non excellenti tantum ingenio et mirâ quadam cogitandi sentiendique bonitate, sed etiam multiplicis doctrinae copiâ poëtam fuisse instructum appareat; quae nempe tam late patuerit, ut cum et literas antiquas gentis suae, et recentiorum Judaeorum fabulas, et Cabbalistarum argutias commentaque plene cognita et perspecta habuerit, tum exterorum quoque humanitate adeo perfectus fuerit, ut ex Graecorum Romanorumque moribus, philosophiâ et historiâ, operis sui, ad eorundem poësis Scenicae leges ex omni parte accommodati, quam plurima ornamenta mutuatus sit. Denique, in eo maxime artificium auctoris conspici, quod studiose curaverit ne figurarum signorumque, quibus res nuntiandas exprimeret, cuiquam obscura et ad intelligendum essent difficilia; multifariam enim ab eo cautum esse, ut facile lector videret, non modo urbes eas, quarum excidium describeret, Hierosolyma dici ac Romam, verum etiam in propriâ harum notione non acquiescendum esse, sed arcanam illam, quae penitius lateret, religionis scilicet Judaïcae atque Gentilis, persequendam (*n*).

Jam vero exponendum est, quomodo, his mente effictis super universo libri argumento, singulas ejus partes Eichornius explicuerit; ut aliquâ saltem ex parte integrum sit cuique judicare, an difficultatem penitus sustulerit. Adumbratum igitur drama tribus constare actibus censuit, quorum primus à cap VIII. 6. ad cap. XII. 17 pertineat, alter à XII. 18 — XX. 10, tertius à XX. 11 — XXII. 5; his autem initio praemissos esse titulum, cap. I. 1 — 3, prologum, I. 4 — IV. 22,

 pro-

prolusionem, IV. 1 — VIII. 5, in fine additum epilogum, XXII. 6 — 21.

Titulum itaque, more Hebraeorum antiquorum, carmini inscripsit, in eo tamen novi quid ausus, quod oraculum suum ab argumenti gravitate commendavit; dictio autem: ἃ δεῖ γενέσθαι ἐν τάχει, col. 1; et ὁ γὰρ καιρὸς ἐγγύς, col. 3, exquisitius significat, res, quae carmine continentur, *certissime* esse exitum nacturas.

Sequitur *Prologus*, I. 4—IV. 22, quo septem Asiae Minoris coetibus hic liber dedicatus est; cum enim argumentum ejus ad omnes omnino Christianos pertineret, at fieri non posset eâ aetate, ut ad omnes perferretur: res ipsa eo Johannem adduxit, ut Asiae Minoris coetibus, ab ipso vel conditis vel auctis, eum sacrum esse juberet; nec tamen cunctis, sed potioribus tantum, adeoque *septem*, cum ad numerum *septenarium* res oraculi sui quam plurimas revocare vellet. Salute igitur dictâ, 4—8, jam gratâ fraude usus, et locum et tempus et opportunitatem finxit, quibus silata haec rerum futurarum patefactio ipsi divinitus contigerit. Quae cap. II et III continentur Epistolae, velut ab ipso Jesu dictatae, in eum finem praemissae sunt, ut ad virtutis atque pietatis officia Christiani admonerentur, atque excitarentur promisso illo, fore certissime (ταχὺ, II. 5, 16 caet.) ut aliquando ea, quam profiterentur, disciplina, omni superatâ mole, libere per terrarum orbem propagaretur.

Cap. IV. 1 — VIII. 5, in dramatis *prolusione*, *primum* scena apparatur, in quâ rerum signa et figurae exhibita fuerint, ac locus depingitur, ex quo tanquam ex theatro omnia vates conspexerit, IV; *tum*, ut apte posset ad rerum futurarum nuntiationem transiri, volumen fingitur, quo *societatis Christianae* fata consignata essent, septem sigillis munitum, quae non nisi ab ipso *hujus societatis praeside*, ab Jesu Christo, detrahi possent, V. *Jam* horum solutionem artificiose in eum finem poëta adhibet, ut, antequam ad voluminis argumentum in medio ponendum pergat, omina quaedam et portenta statuat, ex quibus facile auguretur quisque, qualis eventus in illo descriptus sit. Apertis itaque quatuor prioribus, VI. 1—8, unum hoc variâ ratione significatur, voluminis argumentum in *rebus horrendis ac longe funestissimis* versari; quinto autem soluto, 9 — 11, figurate exprimitur, calamitatem istam, quae instaret, pertinere ad *religionis Christianae adversarios*. Idem, aperto sexto, 12 — 17 magis explicite ob oculos ponitur; horror enim ominum augetur, et ipsa adversariorum extrema angustia depingitur.

Jam cap. VII exodium interserit poëta, quo, uti ante nuntiaverat, quale hominum genus futura mala manerent, ita eleganter nunc portendit, quinam à peri-

riculo immunes forent; nimirum col. 1 — 8, praecinitur, Christianos e Judaeis; versibus autem 9 — 17, Christianos e Gentibus oriundos, nihil sibi habere à futurâ istâ clade extimescendum; quin potius in eorum commodum divinitus omnia versum iri, et ex hostium pernicie ipsis laetitiam atque tranquillitatem oborturam. Tandem, septimo sigillo soluto, propius admovetur apparatus, quo ad funestissima eventa declaranda poëtae uti placuit; in eo est, ut *Judaïsmi* (liceat enim et hic et multifariam cum Eichornio βαρβαρίζειν), ut *Judaïsmi* igitur finis eversorum Hierosolymorum imagine in scena agatur; septem Angeli, tubis instructi, prodeunt, VIII. 2; iterum monetur, nihil esse piis, omnia impiis metuenda; mox ad rem ipsam pergitur, 3 — 5.

Incipit ergo VIII. 6 primus actus, quo *Hierosolymorum expugnatio*, hoc est, *religionis Christianae triumphus*, *de Judaïsmo reportandus*, exhibetur. Atque initio quidem, quatuor tubarum cantu, 7 — 12, figurate indicatur, magnam fore calamitatem istam, et intolerabilem, quae contumacibus Judaeis olim esset divinitus infligenda; *tum* col. 13. artificiose lectores suos poëta monet, ut attentius circumspicerent, quale genus malorum deinde esset expressurus; non enim amplius in universâ angustiarum notione acquiescendum, sed propriam quandam ac peculiarem sententiam singulis portentis esse constituendam. Abhinc enim hujusce actus color ex historiâ petitus est, atque ea mala describere vates incepit, quae Hierosolymorum interitus praecipua causa fuerant; ad *quintae* igitur tubae cantum, IX. 1 — 12, *locustarum* imagine praedones ii designantur, qui ferro et flammâ magnam Judaeae partem vastaverant, et, splendidâ Zelotarum appellatione usi, furiosorum instar, caede, rapinis et omne genus flagitiis terram polluerant; ut vero liberius eos poëta descripsit, ita inprimis ex historiâ non exquirendum est, quem tandem eorum praefectum col. 11 significaverit; merus enim hic ornatus est, ad horrorem augendum eximie fictus. Jam, quemadmodum Zelotarum impotens effrenatio Romanos ad bellum at ad exitium Judaeae inferenda compulerat, ita hic etiam, ubi Hierosolymorum, figurate dictorum, expugnatio canitur, horum exercitus illorum agmen veluti vestigiis consequitur. Nam ad *sextam* tubam, col. 13 — 21, Romanorum copiae, ad ipsam urbem castra ponentes, terribili specie exprimuntur, atque atrocia mala adumbrantur, quae per obsidii tempus partim ab externo, partim ab intestino hoste, incolas afflixerant; quibuscum ad meliorem mentem non perducti, magis magisque flagitiis indulsissent, 20, 21, tandem urbe expugnatâ ipsi internecione deleti fuerant.

 An-

Antequam vero consummatam hancce cladem poëta referat, duo interponit exodia, X. 1—XI. 14; quorum primo, X. 1—11, declaratur, jam brevi futurum esse eventum illud, adversariis quidem funestissimum, at piis Dei cultoribus faustum atque felix, cujus adeo nuntius ad omnes omnino gentes perferendus esset, quâ tandem cunque aut linguarum aut imperiorum diversitate à se invicem distarent, col. 11; altero autem exodio cavet poëta, ne lectores à verâ oraculi sententiâ aberrent monetque, tum urbem eam, cujus expugnatio jamjam instaret, Hierosolyma esse, tum horum excidio aliam plane rem Symbolice exprimi; namque, XI. 1, 2, manifesto scilicet indicat, de disciplinâ evertendâ agi, cujus praecipua quidem capita, quippe egregia et ab ipso Deo hominibus impertita, integra servanda et ad posteros perferenda, at cujus caerimoniae, ritus, caetera omnia, quae Judaeorum superstitio excogitavisset, abroganda essent penitusque delenda! A colo autem 2^b—14 latius ipsius urbis descriptionem persequitur, et ex historiâ rerum gestarum talia facta in medio ponit, quae omnem dubitationem lectori statim eriperent. Colo enim 2^b τὰ ἔθνη, quae τὴν πόλιν τὴν ἁγίαν πατήσουσι μῆνας μβ, sunt Idumaei, qui *ultimo* obsidionis tempore tot ac tanta scelera Hierosolymis perpetraverant, quaeque colis 3—13, continetur narratio, ornata quidem et multis figmentis involuta est, at evidenter tamen Anani et Jesu, Pontificum Maximorum, fata describit; qui, postquam omni ope atque operâ ingravescenti seditionis pesti restitissent, tandem à Zelotis (τῷ θηρίῳ τῷ ἀναβαίνοντι ἐκ τῆς ἀβύσσου!) interemti fuerant, atque inhumati, omniumque ludibrio expositi aliquamdiu in viâ publicâ jacuerant.

Post haec igitur exodia cum poëtae mens nemini latere posset, ad ipsam urbis expugnationem referendam progreditur, ac summâ quidem arte hanc ita proponit, ut quam primum septima tuba inflata est, XI. 15, coelum triumphali carmine personet, cujus argumentum in gravissimo illo exitu celebrando versetur, hoc est: quo Deo gratiae agantur, quod, Judaïsmo exstincto, Christianorum quieti et saluti prospexerit. In colo igitur 18 τὰ ἔθνη sunt *contumaces Judaei*, et ὁ καιρὸς τῶν νεκρῶν κριθῆναι, καὶ δοῦναι τὸν μισθὸν κ. τ. λ. est tempus exstinguendae religionis Judaïcae!

Hac itaque e medio sublatâ, primum dramatis actum ad finem esse perductum censeas; at sequitur descriptio societatis Christianae, qualis post illud eventum futura esset, debilis nimirum et infirmae, cui altera adhuc moles obstaret, quominus ad vires adultas continuo succresceret. Capite igitur XII mulier illa gravida est *Ecclesia Israëlitica*; υἱὸς autem ἄρρην, ὃς μέλλει ποιμαίνειν πάντα τὰ ἔθνη ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ col. 5, est *Ecclesia Christiana*, ex illius velut gremio prognata; quam prolem cum illa

eniti

eniti dicitur, dum prodeunti horridum draconis monstrum inhiaret, figurate indicatur, hoc tempore, quo Judaïsmus jam devictus esset, societatem Christianam in tanto adhuc discrimine versari, ut nisi singulari Providentiae divinae tutelâ sustentaretur, periculis et hostium insidiis extemplo ei esset succumbendum: Deum vero curam ejus gerere, eamque ad virile robur sensim esse perducturum, colo 5 eleganti imagine poëta exprimit, quam in sequentibus, 7—12, pressius persequitur. Reliqua autem tabulae pars, 13—17, figurate describit miseram Judaeorum sortem, qui religionem Christianam spernerent, dum tamen hi etiam, à Deo non neglecti, col. 6, *aliquando* essent ad hujus disciplinae communionem accessuri. Numerus igitur ille ἡμερῶν αςξ, hoc, est: trium et dimidii annorum, col. 6, 14, *infinitus* est, et tanquam sacer ex Danièle petitus; per colon autem 17 transitum sibi vates parat ad actum secundum, nimirum ad liberationem Christianorum, inter Gentes dispersorum, nuntiandam.

Alter igitur actus ille, quo *religionis Christianae triumphus de Gentilitate reportandus* praecinitur, à cap. XII. 18—XX. 10 pertinet; in quo, uti in priori Judaïsmus Hierosolymorum, ita nunc Gentilitas Romanae urbis imagine proponitur. Ut vero Eichornii interpretationem bene intelligas, hoc unum necessario anticipandum est. Nimirum censuit, Vespasiano imperante, hoc opus conditum fuisse; eo autem tempore cum ex historicis pateat, varios adhuc rumores de Neróne olim redituro, longe lateque sparsos, vulgi animos non parum turbasse: ingeniosissime in eum finem hos à poëtâ adhiberi, ut Romanorum imperium certis ac perspicuis indiciis proderet. Suetonio igitur testante, » praedictum erat olim Neroni à Mathematicis, fore, ut quandoque destitueretur; at spoponderant destituto quidam dominationem Orientis, nonnulli nominatim regnum Hierosolymorum, plures omnis pristinae fortunae restitutionem". Unde factum, ut, cum reverâ destitutus manum sibi ipse intulisset, mors ejus à pluribus in dubium vocata sit, putaverintque, eum delitescere, et mox novis viribus auctum Imperatoris dignitatem esse recuperaturum. Quinimo, narrante Tacito, anno adhuc Urbis 823, post C. N. 70, » Achaïa atque Asia falso exterritae fuerunt, velut Nero adventaret: vario super exitu ejus rumore, eoque pluribus vivere eum fingentibus credentibusque." Quae fama tam late manavit, ut etiam, ex ejusdem Taciti testimonio » mota prope Parthorum arma sint, falsi Neronis ludibrio," atque Suetonius referat, se adolescente, cum, exstitisset quidam conditionis incertae, qui se Neronem esse jactaret, tam favorabile nomen ejus apud Parthos fuisse, ut vehementer adjutus, et vix redditus

 fuerit

fuerit (*o*). Haec velim teneas, ut Eichornii explicationem, brevi contractam, capias.

In ipso igitur actus initio, cap. XII. 18 — XIII. 18 duo prodeunt monstra, quae indicant, tum de Romano Imperio, tum sub hujus imagine de gentili religione agi. *Romani* enim *Imperii* personam primae belluae manifesto poëta imponit; quod primum ex truculentâ ejus et potenti specie apparet, colo 2; deinde ex septem capitibus, quae et *septem Romae colles*, et *septem primos Caesares* adumbrant, colo 1 coll. XVII. 9, 10; tum ex descriptione unius ex hisce capitibus, quae in *Neronis* cogitationem ultro lectorem adducit, utpote qui ex Mathematicorum ominibus cum spe ad imperium olim redeundi destitutus fuerat!) col. 3; denique ex ipso nomine, tecte numeris expresso, col. 18, quod antiqui jam viderunt esse Λατεῖνος, hoc est, Latinorum (Romanorum!) regnum; nam ἀριθμὸς ἀνθρώπου dicitur, *quoniam nomen tale est, quale homo gerere et potest et solet.* At ne in *Romani Imperii* propriâ notione acquiesceretur, talia addit vates signa, quibus persuadetur cuique, de hoc Imperio eatenus cogitandum esse, quatenus Idololatriae praecipua sedes sit. Huic igitur rei indicandae tum figurata inservit tabula, col. 4 seqq. (ubi temporis definitio, col. 5, mensium 42, iterum est ludicra, et tantum declarat, hanc etiam Idololatriae Romanae insolentiam *aliquando* finem habituram) tum altera bellua, in scenam producta, col. 11 seqq., quae malas artes atque fraudes eximie exprimit, quibus Idolorum cultus sustentari et inculcari hominibus soleret. In colo igitur 12: ἵνα προσκυνήσωσι τὸ θηρίον τὸ πρῶτον, οὗ ἐθεραπεύθη ἡ πλήγη τοῦ θανάτου αὐτοῦ, necessario significat: *ut adhaerescerent Idololatriae, quae primariam haberet sedem in Romano Imperio, inter cujus Imperatores unus esset, quem destitutum olim esse rediturum homines exspectarent.* Scilicet, quam expedita dictio! Verum carpendi locus non est.

Cum igitur jam facile sentiret quisque, de quânam re perdendâ poëta incepisset canere, post breve exodium XIV. 1 — 5, quo Christianorum tranquillitas Gentium furori atque tumultibus, supra descriptis, opponitur, ad ipsum Romae, sive Gentilitatis, excidium persequendum transit. Quod eventum primum ab ipsis coeli incolis tanquam res multum desiderata et certissime futura nuntiatur, XIV. 6 — 13; deinde messis ac vindemiae symbolis exprimitur, col. 14 — 20; ac tandem artificiosissime in ipsâ scenâ oculis objicitur, cap. XV et XVI. Nimirum, uti septem Angeli, tubis instructi, Hierosolymorum delendorum signum dederant: ita nunc septem etiam Angeli prodeunt, phialas, Divinâ irâ plenas, in al-

alteram illam religionis Christianae adversariam effusuri; namque hoc iis injunctum esse, et consecuturum, ut Gentes opprimantur, iterato exodio pulcre monetur, XV. 2—4. Sequitur ergo Romae interitus; at, cum ad Hierosolymorum excidium depingendum ipsa eorum expugnatorum historia colores suppeditasset, secus erat, ubi illius urbis agebatur eversio; nempe stabat integra, et totius fere terrarum orbis domina. Quare, singulis poculis effusis, vel generalia quaedam calamitatis portenta vates fingit, vel ex Babylonis, à Cyro captae, historià intereuntis Romae miseriam adumbrat, donec tandem, XVI. 17—21, fracta et in cinerem versa concidat In colo igitur 19 ἡ πόλις ἡ μεγάλη, et βαβυλὼν ἡ μεγάλη utrumque ad Romam designandam pertinet.

Jam, cap. XVII, in exodio accuratius poëta expedit, de quânam urbe cecinisset. Ac partim per *meretricis*, partem per *belluae* imaginem tam aperte nunc Romam significat, ut nulla superesse dubitatio lectori posset. Altera enim ipsius *urbis*, altera, latiori quippe totius *Imperii* notione (cap. XIII.) angustius contractâ, *Imperatoris unius*, nempe *Neronis*, personam sustinet; unde vatis enarratio, paucis comprehensa, huc redit: Urbs, cujus excidium figurate descripsi, est urbs illa magna, quae omnibus gentibus imperat, col. 1, 15, 18; quae, uti divitiis et luxurie affluit, ita morum corruptelà et ipsa polluta est, et reliquos populos longe lateque inficit, col. 2, 4, 5; quae et omne genus impietatis turpissimum praebet exemplum, et in Christianos inprimis vehementer saevit, col. 3, 6; quae super septem collibus structa est, col. 9; cujus cum *quinque* Imperatores jam *à regno decesserint*, col. 10, scilicet Augustus, (nam à Julio nemo facile initium numerandi ducat!) Tiberius, Cajus, Claudius, Nero; *Sextus* hodie regnet, Vespasianus, (nam Galba, Otho et Vitellius in censum non venerunt, quoniam regno vix potiti sunt! *Ergo* Vespasiano imperante, *liquet* carmen scriptum esse!) *rumore fertur*, postquam *unus* hunc exceperit, (callide enim poëta Vespasiano ipsi parcere voluit) aliquis esse ad imperium perventurus, qui *Imperator jam fuit*, ὃς ἦν, col. 8, nunc vero *Imperator non est*, καὶ οὐκ ἔστι, quem vero *delitescere tantum ajunt*, et *aliquando rediturum*, καὶ μέλλει ἀναβαίνειν ἐκ τῆς ἀβύσσου, *at cui male pereundum esse simul refertur*, καὶ εἰς ἀπώλειαν ὑπάγειν. Scilicet Oraculum Delphicum Neroni praedixerat, septuagesimum ac tertium annum aetatis ei fatalem fore! Hunc igitur, qui jam inter septem primos regnavit, denuo tanquam *octavum* his successurum esse, *perhibent*, et à *Parthorum Rege* una et *legionum Asiaticarum Ducibus*, col. 12, in imperium iri restitutum; quo tempore cum ab iis fultum

at-

atque sustentatum, col. 13, non tantum horrenda crudelitatis specimina in Christianos editurum, col. 14, at in reliquos etiam cives rabiosi instar saeviturum esse, col. 16, *vulgus exspectat.*

His itaque ex rumore publico, ohe quam perspicue, sed quam ingeniose simul, ad Romam designandam interpositis, ad caetera pergitur.

Ac cap. quidem XVIII — XIX. 10, partim lamentum, partim carmen triumphale de expugnatâ Roma, h. e. de *Gentilium Idololatriâ devicta*, sequitur.

Capite vero XIX. 11 — XX. 3, pompa triumphalis in scenâ agitur; ad quam cum apud veteres hoc etiam pertineret, ut hostes capti, ritu solenni peracto, pro dignitatis ratione, vel suppliciis publice afficerentur, vel in vincula et in carcerem ducerentur: eximie fugit poëta, *Idololatriam* quidem et *Magiam*, col. 20, et omnes earum cultores internecione à triumphanti Duce deleri, *Satanam* vero, Gentium velut impulsorem, in catenas conjici, et omni potestate privari, XX. 1 — 3.

Jam autem, uti post Judaïsmum exstirpatum, debilis fuerat Christianae religionis conditio depicta, cap. XII, ita nunc, cum Gentilitate simul excisâ, omnis, quae ei obstitisset, moles sublata esset, symbolice poëta exprimit, quam libere ea per terrarem orbem propagari posset, ac laeta et florens unica regnare. Hujus enim tabulae colores à Judaeorum commentis de *regno mille annorum* petiit, dum ex ipsius quidem mente simpliciter haec subsit dictis sententia, fore, ut tandem ex Jesu Christi promisso disciplina ejus ad omnes omnino gentes perferretur, XX. 4—6. Verum, ut descriptio tranquillitatis, quâ per adultam aetatem fruitura esset societas Christiana, plane conveniret cum superiori illâ infantiae ejus dubiique status, non ante vates huic actui finem imponit, quam nova molimina proposuisset, quibus felicitas ea per breve tempus turbaretur; quae igitur colis 7—10 leguntur, ficta sunt, ut iis, quae cap. XII. 13 seqq. antecesserant, responderent.

Tandem ad ultimum dramatis actum ille progreditur, quo à cap. XX. 11—XXII. 5, consummata Christianorum beatitas in vitâ futurâ, aeternum duraturâ, olim exspectanda, imagine *coelestis regni* ac *coelestium Hierosolymorum* declaratur.

Opus denique, ut à Prologo inceperat, ita in Epilogum artificiose exit, XXII. 6—21.

En igitur Eichornii sententiam, breviter tibi adumbratam! Quam si probaveris, sane, quaeso, gratulare ingeniosissimo poëtae, quod tam ingeniosum virtutis suae praeconem invenerit.

§. 4.

§. 4.

Heinrichsii sententia.

Restat, ut Heinrichsii sententiam paucis exponamus; nam licet maximâ ex parte Eichornium pro duce secutus sit, aliquantum tamen abest, ut huic prorsus se emancipaverit. Quare cum literatus nemo dubitet, proprium ei locum, nec certe infimum, inter hujus libri interpretes assignare: nobis quidem apud animum est constitutum, breviter id in medio ponere, quod ab Eichornio deflectens, ipse peculiari opinione statuit.

Ac primum verbo monendum est, eum Johanni Apostolo hoc opus abjudicare, et alii ejusdem nominis viro tribuere; quem tamen, pro humanitate suâ dicam an haesitatione, omnino non definit, sed lectori optionem facultatemque concedit, ut vel cum Eusebio Johannem illum Presbyterum, vel cum recentiori quodam conjectore adumbratum Johannem Theologum, vel denique, quem quisque vellet, ad arbitrium fingendo eligeret. In tantâ autem aliis relictâ libertate, id ipse coëgit, Judaeum hunc fuisse, ac literis Judaicis simul et exteris Rabbinorumque et Cabbalistarum disciplinâ imbutum; qui, quum aut Ephesi, aut in aliâ certe Asiae Minoris urbe, Antistitis munere functus esset, septem horum coetibus, sacro usus numero, hunc librum dedicaverit, qui in communem omnium utilitatem scriptus sit.

Quod igitur ad argumentum ejus editique consilium attinet, haec fere sunt, de quibus illi cum Eichornio non convenit. Nimirum, ut in Patmo insulâ, à Proconsule Ephesio, crudelissimo viro, deportatum, reverâ exsulasse vatem censet: ita peculiari hoc consilio eum inductum fuisse ad scribendum ponit, ut misere vexatis Christianis solatium adhiberet, ac melioris fortunae spe eorum animos erigeret. Deinde non hanc subesse carmini sententiam statuit, ut Hierosolymorum atque Romae expugnatione figurate exprimeretur Judaeorum Gentiumque religionis interitus; verum ipsas has urbes dici, ipsarumque significari excidium: voluisse enim auctorem, sive reverâ divino spiritu tactus, laboris metam exoptatissimam exsul providerit, sive furorem illum prorsus mentitus esse existimandus sit; voluisse eum laetum illud tempus ornate depingere, et tanquam mox futurum omnium oculis objicere, quo Christiana disciplina, adhuc tam vehementer compressa, libere per terrarum orbem propagaretur, et ad adultum robur emergeret. Quod eum ex publicâ exspectatione

cum

cum Jesu Christi παρουσίᾳ esset conjunctum, nec prius instare putaretu quam postquam acres isti adversarii, Judaei atque Romani, internecione deleti fuissent: ideo poëtam et illius reditum, et poenas atrocissimas, hisce gentibus infligendas, velut involucra arripuisse, quibus veram suam vaticinationem de futurâ Christianorum tranquillitate vestiret. Namque proprie quidem nihil in hoc opere praedici, nisi Jesum Christum, quâ tandem cunque ratione, βασιλείαν suam brevi stabiliturum esse, atque efficacissimo suo auxilio omnem molem e medio sublaturum, quae flori ejus dignitatique adhuc obstitisset; reliqua autem omnia ad unum hoc exprimendum appositissime ficta, et vel ex ipsius Jesu oratione symbolicâ, vel ex antiquorum carminibus, vel denique ex ipsâ rerum gestarum historia petita esse. Quare minime id in quaestionem vocandum censet, an, quae à vate nuntiari videantur, ex tum *omnia* nacta sint: » enimvero, ait, ratum et effectum est oraculum nostrum: regnum obtinet Jesus Christus: jacent adversarii: plura non quaerimus". Unde patet, eum verbo potius quam re hîc ab Eichornio dissentire; de religionis enim Christianae triumpho uterque cani opinantur; alter autem Hierosolymorum atque Romae excidium, alter Judaïsmi atque Gentilitatis interitum ante descriptum putat. Ex quo tamen discrimine necessario consecutum est, ut tempus, quo liber fuerit conditus, aliquanto secus definierit; nam Eichornio concessit quidem, Vespasiano imperante eum prodiisse; at negavit scilicet, post capta Hierosolyma; quocirca eum elegit temporis articulum, quo, motis per Italiam bellis civilibus, Galbâque, Othone et Vitellio à populo Romano repudiatis, Vespasianus, à legionibus Imperator salutatus, intermiserat paulisper bellum Judaïcum, et Tito filio mandaverat urbis expugnationem.

Denique, quod ad formam attinet, dramatis appellationem fere rejiciendam esse, et carminis symbolici substituendam existimat, missâque simul actuum et scenarum distributione, quatuor his partibus librum constare censet, primâ, quae prologum scilicet excipiat, à cap. IV — VII, quâ apparatus ad sequentia enarranda contineatur; alterâ à cap. VIII — XII, quâ clades Judaeorum; tertiâ à cap. XIII — XIX. 10, quâ clades Ethnicorum; quartâ denique, à cap. XIX. 11 — XXII. 5, quâ Christianorum causae victoria descripta sit (*p*).

Ac de primae quidem partis universâ sententiâ cum Eichornio tantopere ei convenit, ut fere silentio possem transire; visis enim, cap. IV et V relatis, transitum ad caetera strui, et cap. VI prodigia quaedam artificiose fingi putat, ex quibus funestum illius Codicis argumentum appareret. At in cap. VII eatenus à duce suo de-

deflectit, ut col. 9—17 non malorum futurorum immunitatem Christianis, ex Gentibus oriundis, promitti, sed beatorum, qui jam in coelo versarentur, laetissimam conditionem depingi existimet.

Atque in secundae etiam partis explicatione plurima eidem accepta refert: ut enim hic ad quatuor tubarum cantum, VIII. 7—12, solennia calamitatis omina prodire censet, quibus Judaïsmi interitus nuntiaretur: ita illi vatis fuisse consilium videtur, ut eâdem viâ Hierosolymorum atque Judaïcae civitatis proprie dictae excidium portenderet. Quid? quod nonum quoque caput similiter atque Eichornius expedit. Hic enim poëtam scilicet, qui initio imperii Vespasiani scripserit, ex ipsâ historiâ tabulae suae colores petere, ac res jam vere gestas tanquam futuras proponere opinatur; ut à colo 1—12 mala indicet, quae proxime ante bellum Romanum à Zelotis atque ab Idumaeis Judaeae illata fuissent, ac colo 11 figurato nomine eorum ducem unum, aut Menahemum, aut Simonem Gorionis filium, significet; colis autem 13—21 exercitum Romanorum adumbret, qui jamdudum regionem istam ingressus multiplici calamitate oppressisset. Nec dubitat etiam, quin in cap. XI res vere jam factae poëtae ante oculos obversatae fuerint: namque τὰ ἔθνη, col. 2, Zelotas iterum dici existimat, qui *per magnum temporis spatium*, μῆνας μβ, miseram urbem vexavissent, et à quibus, τῷ θηρίῳ κ. τ. λ. in colo 7, ipse auctor jam tum audivisset, probos illos viros, Ananum Jesumque, interfectos esse, et quam maxime posset, contumeliose habitos. Ad caedem igitur usque horum Pontificum, apparet, eum patriae suae fata accurate comperisse; at quae jam sequitur, obsessae expugnataeque urbis enarratio, XI. 15—19, brevissima quippe et obscura, evidenter demonstrat, hujus quidem eventi nullam adhuc, quo haec scriberet tempore, ad ipsum pervenisse notitiam.

Itaque, absolutâ Judaeorum strage, in cap. XII, fere ut Eichornius, proponi putat debilem et infirmum Christianae religionis statum, cum, uno confecto hoste, alter adhuc superesset, crudelior magisque metuendus; quare, ut florem ejus consummatum persequeretur, mox ad victoriam depingendam vatem progredi, quae, adjuvante Jesu Christo, etiam de Gentibus ac praecipue de Romanis esset reportanda.

Et belluâ quidem, quae in ipso tertiae partis initio fingitur, vel Idololatriam superstitionemque Gentilium, vel omne Romanum Imperium, vel, quod multum praefert, singularem hominem, Christianis maxime adversarium, exprimi censet; nempe horridâ hac imagine Proconsulem istum Ephesium notari, qui, ut summâ cru-

 de-

delitate in reliquos Jesu cultores saevierit, ita ipsum poëtam in exsilium relegaverit; huic vero ubi eandem formam tribuit, col. 1, quam supra Satanae, XII. 3, satis perspicue apparet, eum significare, virum istum aeque truculentum se gessisse, atque ipsum hunc malorum Geniorum principem; quod in colo 2 enucleatius etiam et ad terrorem incutiendum appositissime additur. Colo autem 3, in quo *μία ἐκ τῶν κεφαλῶν αὐτοῦ ὡς ἐσφαγμένη εἰς θάνατον* dicitur, et *ἡ πληγὴ αὐτοῦ θεραπευθῆναι*, haec sententia subesse videtur, quod Proconsulis istius auctoritas, cum, incertum quâ de causâ, in Caesaris odium incurrisset, aut ademta paulisper aut imminuta fuerit, sed mox in pristinum restituta! Quae colis 5—10 sequuntur, ornatius describunt ejusdem saevitiam et Idololatriae studium vehementissimum; ac tempus definitum XLII mensium, col. 5, indicat, immensam illam potestatem, à Satanâ concessam, non nisi per breve spatium ab hoc sustentum iri. Nec rogas sane, an cum hujus nomine conveniat numerus, qui in colo 18 adjectus sit; uti enim nudâ conjecturâ *ipsum virum exstitisse* efficitur, ita certe nomen ejus frustra exquireres! — Jam vero alterum portentum, col. 11 seqq., ultro videbis, esse Proconsulis istius satellitem quendam scelestum atque malitiosum, similem illius Bar Jesu, qui Cypri Proconsulem, Sergium Paulum, fraudibus suis circumvenisse legitur, Act. XIII. 6 seqq. Hujus igitur artes, ostentatio, ac praestigiae colo 12 seqq. figurate depinguntur.

Sic bile suâ acriter in inimicum huncce effusâ, mox vates ad ipsius Imperii, cujus ille particulae praeësset, interitum praedicendum pergit. Hunc autem carminis locum, à cap. XIV—XVI, explicans, tam presse Heinrichsius Eichornium secutus est, ut, quod ad universam certe sententiam attinet, nihil fere proprium in ejus commentario insit. Moneo tantum, eum statuere videri, cap. XIV. 9 et 11 ejusdem *θηρίου* nomine, latius sumto, *Idololatriam* exprimi; at qualem notionem, cap. XVI. 10 et 13, eidem subjecerit, decernere non ausim. Vereor enim, ut voluerit satis intelligi.

Itaque pervenimus ad caput XVII, de quo plura sunt in medio ponenda. Namque puellam quidem meretricem, col. 1, Romae personam agere, lubens Eichornio concessit; at quae de belluâ adduntur, plane secus se expedire studuit. Nimirum haec ejusmodi esse judicavit, ut dubitari vix possit, jam hac figurâ à vate descriptum esse summum istum veri Dei cultus adversarium, Satanam ipsum, qui cap. XII in scenam, eâdem fere specie, prodiisset. Cui certe Romana urbs insidere peropportune fingitur: uti enim haec omnium terrarum, quarum incolae Idola venerabantur, princeps erat et regina: ita Idololatria ad Satanam referri solebat.

Si

Si igitur istum Genium hîc à poëta notari dederis, omnia, quae sequuntur, aperta sunt et facilia! Nam in colo 8 verba, τὸ θηρίον, ὃ εἶδες, ἦν, καὶ οὐκ ἔστι, καὶ μέλλει ἀναβαίνειν κ. τ. λ., maximâ ex parte per πρόληψιν explicanda sunt ex iis, quae cap. demum XX. 2,3 enarrantur. Scilicet, quo tempore hanc imaginem Angelus interpretatur, deleta jam Roma fingitur; donec urbs ea integra fuerat, ὁ δράκων, praesul ejus, ἦν· Ut primum haec interiit, ὁ δράκων οὐκ ἔστι· ἐβλήθη γὰρ εἰς τὴν ἄβυσσον, XX. 2; unde iterum post mille annos exactos in terram rediturus est per breve temporis spatium, XX. 3,7; homines autem Ethnici obstupefient, videntes, θηρίον, tantâ vi et auctoritate praeditum, e medio sublatum et exstinctum esse, ὅτι ἦν, καὶ οὐκ ἔστι καὶ παρέσται! — Quod vero ad colon 10 attinet, *septem* illi *Reges* sunt septem Caesares, qui auctori carminis jam innotuerant; οἱ πέντε οἱ πεσόντες Augustus — Nero; ὁ εἷς Vespasianus, ὁ ἄλλος Titus, qui Hierosolyma tum obsidens, suo tempore ad Imperii summam esset evehendus; at quem brevi regnaturum portendit, quoniam brevi imminere extremam Romae cladem jam dixerat. In septem igitur his capitibus, quae in rei Christianae conspiraverant perniciem, Satanas ipse, tanquam *octavus* annumerandus est, col. 11; namque ἐκ τῶν ἑπτὰ ἔστι, hoc est, *eâdem atque illi mente, omniumque dux et antesignanus.* Ut enim Joh. VIII. 44 pravi homines ἐκ τοῦ Διαβόλου εἶναι dicuntur, ita hic Diabolus ipse ἐκ τῶν ἑπτὰ πονηρῶν esse fingitur! verum τὰ δέκα κέρατα, col. 12, quos tandem exprimunt δέκα βασιλεῖς, οἵτινες βασιλείαν οὔπω ἔλαβον, ἀλλ᾽ ἐξουσίαν ὡς βασιλεῖς μίαν ὥραν λαμβάνουσι μετὰ τοῦ θηρίου; Scilicet vox οὔπω in οὐκ mutanda est; quo facto facile apparet, jam eosdem illos *septem* Imperatores significari, admissis in numerum tribus, quos poëta ante neglexerat, quoniam vix regno functi fuisse dici poterant: Galbâ, Othone et Vitellio; hos igitur hîc potissimum describit, notans, eos per breve tantum temporis spatium cum Satanâ in potestatis communionem *venisse.* Colis autem 13, 14, 16 et 17 figurate vates designat, omnes istos decem, licet plures à civibus suis tanquam optimi viri laudarentur, crudelitate tamen et tyrannide eos vehementer oppressisse, et ad Romae interitum velut cum Satanâ conspirasse; cum vero summe semper studuissent, et etiam tum studerent, Christianorum societatem exstirpare, mox futurum esse, ut potentissimo ipsius Messiae auxilio hi ab eorum insidiis et furore tuti evaderent. — Caetera, quae in hac parte sequuntur, fere ut Eichornius expedit.

A cap. autem XIX. 11 tertia tandem pars carminis incipit; nam Judaeis atque Romanis devictis, Messias ipse prodire fingitur, velut triumphum de subactis hostibus acturus, et internecione omnes, qui superessent, deleturus; inter quos cum

peculiari loco τὸ θηρίον καὶ ὁ ψευδοπροφήτης, col. 19, 20, memorentur, et illud scilicet manifesto à *Dracone*, cap. XX, distinguatur, necessario consequitur, ut Proconsulem istum Ephesium, ac satellitem ejus *hîc* rursus poëta notaverit. Vincto autem Satanâ, cap. XX, tranquillitas ea, quae jam Christianis contingeret, colore, ex Judaeorum fabulis petito, splendide depingitur; sub hac enim tabulâ, uti etiam sub eâ, quâ beatitas piorum aeterna, cap. XXI et XXII, expressa sit, eandem Heinr. universe atque Eichornius sententiam subjectam statuit.

Itaque ad constitutum hujusce capitis terminum, sane quam gavisus, perveni; quo molestissimo labore exacto, cum multo laetior prospectui meo campus pateat, tum in hunc ingredi gravissimâ, credo, de causâ lectori videor. Nam licet ad horum interpretum, qui caeteris longe excellunt, et ex quibus vel Herderum certe, vel Eichornium, proxime ad verum accessisse, plurimis nostrâ aetate persuasum est; licet igitur ad horum sententiam refellendam nihil fere adhuc in medio posuerim: paucos tamen adeo fore aut hebetes, aut pertinaces, confido; ut ne ultro fateantur, esse saltem aliqua loca ita ab his expedita, ut commodior et minus perplexa ratio investigari sine invidiâ possit. Quid? quod plerosque, qui, à praejudicatâ opinione liberi, ingenioque satis acuto instructi, nuda haec, ut suâ bonitate se tueri debent, exhibita, caute circumspexerint, ita penitus jam mecum consensuros existimo, ut licentiae et inconsiderantiae crimen, supra hisce interpretibus illatum, plene absoluteque comprobent. Namque, ut e multis hoc dicere occupem, quis tandem non videat, si, quae capitibus VI — IX contineantur portenta, ex historiâ rerum, in Judaeâ gestarum, aut partim aut omnino explicanda sint, laborem non esse, cujusque fere populi casus iisdem descriptos agnoscendi? Deinde, quis in capitum XI, XII, XIII, XVII, et XX explanatione, quae adhuc proposita est, tutus atque securus acquiescat? quis male callidam temeritatem et universae causae desperationem non sponte suâ suspicetur, si ejusdem θηρίου imagini aliam notionem in cap. XI. 7, aliam in cap. XIII, aliam in cap. XVII, aliam alibi tributam deprehenderit? Cui tandem Grotius probaverit, in cap. XIII Trajanum notari, quod nomen Οὔλπιος T.; cui Herderus, Simonem illum, Gorionis filium, quod Hebraïcum ר״שמען; cui Eichornius, Romanum Imperium, quod scilicet Λατεῖνος; cui denique Heinrichsius, Proconsulem Ephesium, quod adumbrati viri

viri nomen numerum, in colo 18 expressum, habuerit? Denique, quis de tempore, quo liber prodierit, per eas interpretandi rationes, quas jam oculis objeci, tantopere certior factus sit, ut Semleri dubia prorsus enervata videantur? Cum Herdero tu statuis, in Neronis aetatem ejus ortum cadere: At quare? Utrum, quod commode sic ille et dilucide cuncta explicuerit, an quod ex cap. XVII. 10, nativam persecutus sententiam, hoc pulcre evicerit? Nescio, an neutrum adseveres. Placet cum Eichornio et cum Heinrichsio facere, ac Vespasiano demum imperante conditum esse opus, arbitrari: Nimirum, quod alioquin argumentum ejus intelligi nequeat, appareatque, auctorem id ipsum indicare, utpote qui, sexti Caesaris aetate se vivere professus, ex Caesarum numero Julium, Galbam, Othonem et Vitellium exemerit! Crede tu, si videatur credibile; at Semlerus, puto, perspicacior fuit, quam ut ejusmodi artificio silentium sibi imponi sivisset.

Nec profecto levis haec est, quam paucis praecidi, reprehensio; ea enim, quae citavi, loca, ac male adhuc expedita esse intendo, ipsa sunt, in quibus totius libri sententia vertitur. Quare, qui mecum ita censuerit, neque in eâdem materiâ denuo elaborantem, acta me acturum judicaverit, jam ad ea examinanda velim pergat, quae in altero hujusce Partis Capite, aliquanto longiori, sequuntur. Quae uti mihi quidem, ut assolet, veriora videntur et rectiora: ita, si erroris convincar, certe cum Herdero illo et cum Eichornio errasse, non magno erit dedecori.



CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

QUO DE APOC. LIBRI ARGUMENTO ET SENTENTIÂ IPSI EXPONIMUS.

Hîc igitur, quod verum esse statuo, relaturus, ratio flagitat, ut eodem ordine disputem, quo aliorum placita ante exposuerim: videlicet, ut in introïtu quidem paucis exhibeam praecipua capita, quibus sententia nostra fundata sit; deinde vero ab initio ad finem usque librum persequar, et partes illius diversas uno tenore lustrando, summatim explanem. Ac sane, si vel eâ necessitudinis lege non tenerer, multo tamen hanc normam sequi mallem, quam conjunctâ argumentatione ad causae principia stabilienda uti. Cum enim Apoc. librum ita comparatum esse jam quisque agnoverit, ut ea tantum illius interpretatio pro verâ haberi possit, cujus ope singula membra dilucide perfecteque illustrentur: tum facile ipse sentio, non prius hanc disputationem ad persuadendum fore appositam, quam manifesto lectori apparuerit, et nullam totius operis particulam obstare, quominus nostra conclusio justa sit, et omnia, quae in ipso reperiantur, veritatis indicia eo una tendere, ut illius evidentiam clare abundeque demonstrent. Quod, si quo scilicet modo, nullo certe melius effectum iri existimo, quam si, suo quaeque ordine perstringens, partim caveam, ne quid momenti omittam, partim aliis suspicionem praecludam, me, quod praejudicatae forte opinioni faveret, in medio posuisse, quod eidem esset adversum, silentio transiisse. Accedit, quod per hanc rationem non necesse sit, ut brevitati multum officiam; cum enim scriptio nostra in universi tantum libri sententiâ expediendâ versetur, consequens est, ut ne ultra, quam ad hoc consilium absolute perficiendum requiratur, in singulorum locorum pertractatione evager. Unde tantum abest, ut quod in integro desideretur commentario, id exiguis hisce finibus includere cogitem, aut aequalem ad omnia adhibere di-

diligentiam, ut alia quidem levissime tacturus, in aliis autem deditâ operâ diutius haesurus sim, pro eo, non quantum in verbis videatur difficile et attentâ consideratione dignum, sed quantum ad rem, de quâ quaerimus, definiendam definitamve enucleandam ponderis ac nervorum insit. Nec tamen sic mihi praerepta erit facultas, subinde etiam talia loca accuratius persequendi, quae quo tandem cunque modo quis intellexerit, ad rei summam non attineat, ac de quibus adeo per peculiare, quod mihi est, propositum in ipsâ disputationis serie de industriâ agere non liceat; si enim id genus aliquid addendo lectoris commodo serviri visum fuerit, in annotationem annexam hoc admittendi erit copia, in quam simul ea sum rejecturus, quae necessaria quidem vel ad ampliorem causae probationem, vel ad eorum, quae dicta fuerint, explanationem, minus apte tamen suo quaeque loco potuerint inseri.

Praecipua igitur capita, ad quae in ipso introïtu hîc mihi quod sentio revocandum est, quinque sunt.

Primum, uti satis apparet, voluisse auctorem videri hoc scripto consignasse divina oracula, sibi, ut aliis ea praedicaret, impertita: ita abest longissime, ut putem, eum ex vero magnificam hanc speciem operi suo tribuisse. Quod enim de apparente Jesu Christo, de Geniorum coelestium comitatu, de ipso Deo loquente, uno verbo, quidquid de spectaculo, sibi inter superos oblato, enarrat, id plane falsum esse fictumque existimo, ut eorum, quae refert, nihil omnino spiritu divino tactus viderit, verum cuncta, uti ipse meditatus animo deformavisset, ultro mandaverit literis. Involucra igitur rerum commenticia esse arbitror; de rebus ipsis secus statuo; namque has non libere finxit auctor, sed summas certe ita proposuit, ut vere eas futuras esse non ipse tantum credidit, sed omnibus credendum esse auctoritate testantis Dei censuit. Quodcunque enim praedictum reperis, vel ab Hebraeorum vatibus antiquis, vel ab Jesu Christi oraculis, modo maximâ ex parte, modo totidem verbis, ille mutuatus est, nec quidquam universe divinavit, nisi quod per horum fidem ac per Dei constantiam fieri non posse putavit, quin eventu comprobaretur. Quapropter, cum daturum esse quemque rear, simulatam illam, quae libro addita videtur, speciem aut magis esse aut minus culpandam pro eo, quale rei descriptae argumentum sit et unde petitum: non dubito sane, quin excusatissimus longe hic habeatur, qui non, quod temere excogitavit ipse, sed quod auctore Deo jam ante

 nun-

nuntiatum fuisse, sibi persuasit, id accurate fere ac religiose expressum Deo ejusve ministris acceptum retulit.

Verum melius haec dicta intelligentur, si quod altero loco jam sequitur, animadverteris. Nam quod ad summas rerum, hoc libro praedictarum, attinet, in eo unice elaborasse auctorem censeo, ut *brevi* instantem Jesu Christi reditum, non νοούμενον illum et πνευματικὸν, sed adspectabilem corporeumque, lectorum oculis objiceret; hoc est: ut quae in hujus regno splendidissimo, cui ipse, coelo relicto, in hoc terrarum orbe esset praefuturus, pios Dei cultores maneret, felicitatem; magis vero etiam, ut quae faustum illud eventum praecessura essent, mala atrocissima, rerum publicarum conversiones, universi generis humani extremas angustias, velut in pictâ tabulâ graviter copioseque exhiberet. His igitur partibus non tanquam poëta, sed tanquam verus augur sibi fungi visus est. Cum enim putaret, in hoc argumento jam vates antiquos multifariam fuisse divino instinctu versatos; cumque de eâdem re aut ipse saepius Jesum Christum se loqui audiisse, aut ab aliis tradita effata ejus integra se accepisse, sancte crederet: non secus statuit, quin, si de puro hoc et liquido fonte sua duxisset, sincerus esset exstiturus rerum gerendarum pronuntiator. Et adeo quidem manifesto patet, voluisse se auctorem prorsus ad mentem et ad verba summi hujus Doctoris conformare, ut si orationem illam celebratissimam, quâ fusius hic de reditu suo deque calamitate publicâ, ante exspectandâ, coram discipulis exposuisse extremo vitae tempore legitur; si hanc, inquam, uti ad nos pervenit scripto consignata, cum Apoc. libro contuleris, ultro fatearis necesse sit, et eadem universe in utroque eventa praedicta esse, et eundem observatum eventa digerendi ordinem. Quamvis igitur clarum ac testatum sit, summa capita rerum, earumque inter sese conjunctarum seriem non aliter eum constituisse, quam exemplo Jesu Christi, quippe cujus verba rite se intellexisse non dubitaret, sibi praescriptum duxerit: longe tamen abest, ut in singularum quoque partium pertractatione eadem conspiciatur aequalitas et convenientia. Cum enim ficta hujus operis forma ejusmodi sit, ut res futurae tanquam praesentes, sicut in coelesti scenâ auctori fuerint oblatae, exhibeantur; percipiat vero quisque, à tali instituto alienum esse, id quod perfectum quis absolutumque se vidisse ferat, non nisi generatim leviterque adumbrando perstringere: quî tandem miraberis, in hocce libro longe enucleatius atque distinctius omnia,

quam

quam in Jesu oratione, expressa cerni? Quod quidem tam late patet, ut merito dixeris, altero veluti commentarium ad alterius explanationem perscriptum contineri: namque partim, quae in hac brevius fuerant simpliciterque enuntiata, ea ille ad actionem revocata plene splendideque depinxit; partim, quae à vate fuerant obscurius et quasi per aenigma implicite indicata, ea ab illo, teste scilicet et spectatore, expedite elaborata, in summâ luce collocata, et omnium oculis facillima ad agnoscendum sunt exposita. Atque ne in ampliori quidem hac pertractatione suo sibi ingenio liberius obtemperare visus est: si enim exceperis involucra, quae cum fictâ libri specie sunt conjunctissima, atque accurate circumspexeris, quo pacto ipsas res, ab Jesu praedictas, copiosius explicuerit, pauca sane loca sic comparata invenies, ut soli arbitrio ille serviisse, ac, si qua placuisset alia ratio, eodem jure hanc fuisse secuturus censendus sit. Ne enim nimis dicam, certe pleraque id genus, et in his quae merito habentur omnium gravissima, ex veterum scriptis fere totidem verbis mutuatus est, et ideo tam confidenter ad illustranda amplificandaque Jesu oracula adhibuit, quod de eventis iisdem illos cecinisse, et eandem illis atque huic auctoritatem esse tribuendam, non dubitaret. Nimirum ut Judaei universi, eâ jam aetate secus longe quam par est in interpretando sancto suo literarum corpore versati, ea inprimis volumina, quibus vatum poëtarumque opera comprehenduntur, multifariam solebant in aliam plane sententiam, quam color verborum orationisque series offerant, accipere: ita hujus etiam libri auctor certo sibi persuasisse videtur, plurima in his inesse effata, divinitus, ut reliqua omnia, scriptoribus suggesta, quibus res nondum exitum nactae, sed pro futuris adhuc exspectandae, aut levius passim adumbrarentur, aut fusius nonnunquam ac deditâ operâ articulatim exponerentur. Hoc igitur errore qui ductus fuerit, eumne miraberis, cum ipse Jesus ita vaticinatus esse de reditu suo legatur, ut non tantum et verba et imagines et totam descriptionem ab antiquis petierit, sed nominatim quoque ad unius eorum oraculum auditores delegaverit; an miraberis, inquam, eum iis certe locis, quae ab hoc expressa aut citata compererat, non alia putasse eventa praecini, quam quibus nuntiandis verbo tenus accommodata fuerint? Unde consecutum est ultro, ut, cum in hisce et in aliis idem sonantibus effatis plurima videret, ab Jesu brevius dicta, enucleatius proponi, ea non dubitaverit in suam tabulam transferre, et, si per se satis essent perspicua, simpliciter imitando repetere; sin vero et ipsa viderentur, hac scilicet aetate, quae ab exitu

 mul-

multo propius abesset, pressius posse et patentius definiri, illud etiam addere lumen, quod exacta tempora et praesens rerum conditio jam suppeditassent. Itaque, ut paucis praecidam, quotquot articulis vaticinatio haecce, nuda ab integumentis suis secreta, constat, omnibus velut principium subest, nempe ex auctoris sententiâ, ipsum Jesu Christi testimonium; quaeque latius ille rem persecutus, super hoc fundamento struxit, ea fere tam dilucide apparet, unde mutuatus et quanto jure mutuari posse sibi visus fuerit, ut nesciam, utra magis in illo sit conspicua, religio, ne quid nimis fingeret, an vegeta sensuque plena mens, utpote qui, quae unius esse tabulae varia duxit et longe disjecta membra, tam eleganter in unum conjunxit, et congruum aptumque ex omnibus constituit corpus (*q*).

Tertium, quod notamus, pertinet ad tempus, quo liber scriptus fuerit. Licet enim fieri non posse existimem, ut accurate annus ipse definiatur, hoc tamen mihi certum est et persuasissimum, in Neronis Caesaris aetatem, et inter hujus quidem imperii annum quartum et octavum, ortum ejus incidere, ac vehementer adeo eos falli, qui aut nudâ conjecturâ, aut plerorumque veterum auctoritate inducti, vel Vespasiano, vel Domitiano demum regnante, eum scriptum censeant. Qui error incredibile memoratu est, quantum totius operis intelligentiae obfuerit. Cum enim, ut supra dixi, veterum oracula, Daniëlis praecipue, ita passim auctor expresserit, quemadmodum eorum exitus tunc per rerum aut gestarum memoriam aut faciem praesentem videretur prospiciendus: nemini, puto, latebit, potuisse consequi, ut quae Neronis aevo de eo quod futurum esset, clare et ex publicâ exspectatione pronuntiata fuerint, ea, si ad Vespasiani aut ad Domitiani certe tempora produxeris, omni fere careant sensu, et delirantis sint obscura perplexaque somnia. Illo igitur Imperatore librum esse editum, praefracte cogimus, tum, quod auctor ipse id perspicue prodidit, tum quia, hoc sumto, et omnia rite aequaliterque fluunt, et ante oculos positum est, quî loci illius, unius omnium celebratissimi, sic uti factum vides, ex Daniële transferendo ei in mentem venerit. Unde patet simul, cavendum esse, ne uni alicui totius operis particulae lumen adhibeatur ex rerum Judaïcarum aut cujuscunque tandem gentis historiâ, tempore, quod definivimus, posteriori.

Jam

Jam quarto loco dicendum est de causâ, quae auctorem impulerit, ut hujuscemodi opus elaborandum sibi informaret. Ante omnia autem teneri velim, minime id eum cogitasse, quod solet à multis magno cum damno praejudicari, ut in publicum usum generale quoddam, et quoquoversus adeo pervulgandum scriptum conderet, sed certos eum sibi apud animum constituisse lectores, quorum commodo voluerit privatim inservire. Licet enim universum libri argumentum, uti paucis illud supra contraximus, tale esse appareat, ut ad omnes omnino Christianos censeri posset pertinere, ita tamen et ejus exordium, (nam prologus, quem dicunt, I. 1—3, non ab auctore ipso profectus est (*r*)) et color ratioque perpetua, et denique clausula sunt comparata, ut septem illis coetibus Asiaticis non tantum dedicatus, quod facete perhibuerunt, sed totus esse ad hos perscriptus velut peculiaris epistola videatur. Quo anticipato, haec ferme sunt, quae super quaestione positâ mente nobis effinximus.

Absens, vel quod fando audierat, vel potius, quod praesens ipse viderat, memoriâ recolens, sensit auctor, miseram ac longe tristissimam conditionem esse Christianorum, qui in septem illis Asiae Proconsularis urbibus degerent; alii enim, luxuriae libidinisque labe infecti, verendum esse, ne pedetentim in deterius progrederentur, ac brevi interjecto spatio ad pristina redirent instituta; alios adhuc quidem integros, morumque sanctitate conspicuos, summe tamen periclitari, ne vel per impudentiae lasciviaeque, late ibi dominantium, exempla à recenti virtutis studio abducerentur, vel, quod turpe dictu est, nefariorum quorundam auctoritati incaute cederent, qui arrogatâ sibi doctorum dignitate eum in finem abuterentur, ut ad suum cuique arbitrium vivendum esse, et mores quoslibet juxta aestimandos, Christianis persuaderent; omnes denique, ne de iis dicam seorsim, quos nescio quis languor ac perniciosa segnities jam occupassent; omnes igitur, seu bonos, sive malos, per vexationem et injurias, quibus quotidie essent diversâ ex parte expositi, in tantâ sollicitudine versari, ut nisi momentum pergrave obstaret, mox consecuturum videretur, ut à disciplinâ, quam profiterentur, solâ quippe invidiae causâ, plurimi deficerent. Quae, ut per se jam satis erant magna, majora tunc illi oblata sunt, cui et absenti ingruentem pestem pro viribus reprimere non liceret, et ipsa loci, in quem relegatus esset, natura horrida, inculta et ab hominum societate fere secreta, istiusmodi sensus in animum infudisset, ut de quâcunque re, nedum de tali, severius soleret et magis anxie meditari. At vehementius inprimis haec eum cogitatio perculit, quo propius abesse censuit Jesu Christi reditum, et atrocissimas tempestates, quae hoc even-

eventuum essent praecessurae. Qui enim illecebris corruptelarum tum jam irretiti essent, quo quaeso jure exspectare potuit, hos in eo esse discrimine virtuti adhaesuros, quum omni ope atque operâ et ipse perditorum Geniorum Princeps, et foedi ejus ex hominibus satellites malitiae nervos essent intenturi, ut vel sanctissimos ad scelera pellicerent; quique jam tum, aut lentâ quâdam inertiâ sopiti, aut angustiarum molestiâ, magnâ quidem at brevi fugacique, pressi, metus esset, ne bonae causae renuntiarent, quî tandem diro isto tempore non forent succubituri, quo quidquid habeant aut speciei commendationis blanditiae, aut trepidationis horrorisque cruentae mortis providentia, conjunctâ vi in Christianorum animos admoveretur, non semel sed sexcenties, non per aliquot dies, sed per aliquot annos, non ut ab opibus fortunisque, sed ut à religione scilicet desisterent? At, proh Deus! si destitissent, quam terribili sorte eos à Domino exceptum iri, ille exspectaverit, quem Domini sanctitatem alte suspexisse et ardentissimo amore hunc prosecutum fuisse, ex universo opere constat? Nae parvum esse prae tantâ perfidiâ omne flagitium duxit, ac, si qua divinitus poena, nimirum atrox et intolerabilis, maneret Jesu Christi adversarios, duplum certe ab iis iri exactum, qui summo bono, cujus agnovissent pretium, turpiter abjecto, religionem ipsam publico exposuissent risui. Ac si non omnes, imo paucos tantum, eo deventuros esse nequitiae speraverit, plerosque tamen extimuit, ne imprudentes plane ac solutos tempestas ea esset oppressura; quo necessario futurum, ut nec caute satis, ut deceret Christianos, periculo resisterent, et, sive moriendum iis in ipsâ aerumnâ foret, sive vitâ adsequi gloriosum exitum daretur, imparati ad judicium accederent, et à piorum societate misere excluderentur. Haec igitur ille cum saepenumero agitasset, quid potius in animum induxerit, quam ut, quae unica pateret via ad malum averruncandum, continuo hanc persequeretur: videlicet, ut literis perscriptis, quam maxime posset severe, graviter, ac ponderose ea in medio poneret, quae rei praesenti viderentur accommodatissima. Quo pertinuerit adeo, ut pro eo, qualis esset singulorum coetuum status, aut vitia, quae invaluissent, castigaret, aut mores compositos laudaret praedicaretque; ut in eos inprimis acriter animadverteret, qui scelestam doctrinam late propagantes, ad impietatem reliquos sollicitarent, atque eorum contra extolleret exemplum, qui adumbratis hisce bene vivendi ducibus aditum praeclusissent; porro, ut infirmos erigeret, ut vexatos ad constantiam moveret, labefactatos ad tranquillitatem; ut nimium securos turbaret, ut sopitos excitaret, et languidos ad ardorem reduceret; denique,

que, ut omnes, revocatâ in mentem et quasi inustâ discriminis, quod mox instaret, cogitatione, ad vigilantiam praepararet, ac suppliciorum formidine à defectione deterritos, beatitatis spe et anticipatione ad extrema quaeque perferenda muniret. Age itaque, si hujusmodi propositum haud absurde in quemquam cadere concesseris, jam vide, an ad illud exsequendum Apoc. libro aptior esse ullus potuerit. Quae enim in tali scripto requirebatur gravitas, haec ultro per adhibitam speciem accessit; ad singulas illas Christianorum familias seorsim praemissae sunt literae, ad alias suaves blandaeque, ad alias minaces atque asperae, sed quas non auctor ipse, verum Jesus Christus, Judex ille futurus, dederit; excipit has mirâ opus granditate, communiter ad universos perscriptum, vaticinatio de rebus, mox ad exitum perducendis, quibuscum aut aeterna cujusque felicitas, aut irrevocabilis esset conjuncta damnatio; atque ea non brevis, sed copiosissima; non obscure perplexeque, sed patenter, sed explicite, sed enucleate pronuntiata; non ad aures et ad rationem, sed ad oculos sensumque admota; non scite festiveque ad delectationem exhibita, sed sancte, graviter ac religiose ad emendationem; non ad omnium omnino Christianorum statum aeque accommodata, sed ad hos, qui inertes, qui flagitiosi, qui malis essent adflicti, unice pertinens. Ut enim, quod mihi in mente est, paucis dicam, nescio sane, utra magis auctor cogitaverit: angustiarum, quae instarent, diritate quam posset vehementissime pingendâ, lectores percellere, et salutari quodam pavore instruere ad alacritatem, an passim interjectis Divinae curae speciminibus, atque effatorum solatiis, animum iisdem et calcar addere efficacissimum? utrum religionis adversariorum capitali clade et pernicie mirum quam atrociter persequendâ, et saevissimas subinde minas in improbos intonando, à vitiis et à defectione suos absterrere, an splendidâ exsultantique summae, quae maneret pios, beatitatis descriptione ad virtutem et constantiam allicere et cogere lubentes? Quocirca, licet eâ de re alibi sit, quam in hac libelli parte, dicendum, aegre tamen abstineo, quin iterum concludam, si quis unquam excusate finxerit, huic certe viro ignoscendum esse, quod ad causam Dei atque Jesu Christi stabiliendam, Dei atque Jesu Christi auctoritate abusus sit.

Postremo de auctore ipso quaedam notare constitutum est, nempe, quantum ad rem, in quâ versamur, necessario requiritur.

Primum itaque Johannem illum; hoc enim nomen, non video, cur et in Prolo-

go

go ei tributum, et ab ipso saepius in hujuscemodi scilicet, quod ad notos fuerit perscriptum, opere proditum, tu pro falso haberes; Johannem igitur illum censeo natione Judaeum, ac Palaestinensem quidem, fuisse, qui, quum brevi demum ante in hunc Asiae tractum pervenerit, et primas forte has literas Graece ad Graecos exaraverit, non mirum est, si multifariam, quod ei linguae proprium est et peculiare, neglecto, cogitata Hebraïce Hebraeo etiam colore expresserit (*s*).

Deinde, ut ex toto libri argumento omnibus constat, eum Christianum fuisse, ita mihi etiam certo persuasum est, eum doctoris dignitate functum esse, et propterea jure sibi de moribus admonendi suscepisse provinciam. Nec dubito, quin inter ipsos hosce, ad quod scripsit, Christianos, postquam ex patriâ huc appulisset, aliquamdiu tanquam Antistes fuerit versatus, ac vitas eorum proxime intuitus, acriter et curiose animadverterit; unde, ubi concitatâ seditione, nescio quam levi forsitan de causâ, ex medio suorum abreptus et in desertam insulam deportatus fuerit, ultro fere et tristis ista, quam effinximus, cogitatio illum occupaverit, et satis semet ipse duxerit instructum, ad mali remedium, quâ par esset peritiâ, adhibendum.

Porro, quod ad ingenium ejus atque indolem attinet, alterum puto acutum fuisse, vegetum et illustre, quod in sensus subtilitate praecipuum habuerit adjumentum, ut quod bonum esset, pulchrum atque verum, praeclarius quam pro isto tempore consectaretur: alteram vero quibus tandem laudibus efferam? Metuo enim, ne minuere videar. Quare pretium ei ex aequo ille constituat, qui sanctissimus ipse consideraverit, quantam pietatem universus hic liber redoleat: ut totus in cultu et in veneratione Dei Johannes ille fuerit; ut eximio, ut singulari, ut unico amore Jesum Christum prosecutus sit; ut hujus disciplinâ nihil carius, nihil habuerit antiquius; ut in virtutis admiratione, in improbitatis odio et incredibili horrore animus ei infixus fuerit; denique ut absens suis se prodesse, ut afflictus ipse afflictos se sublevare, ut ab impuritatis labe, ab exitio omnes se tueri, laetus atque enixe studuerit.

Restat, ut dicamus de doctrinâ et eruditione, quâ mens illius subacta fuerit; hoc est, ex quonam fonte ea comparata habuerit, quae necessaria videantur, ad hujusmodi opus tam bene et composite condendum. Atque mihi quidem longe abest, ut eorum placeat sententia, qui multiplicem illi ac diversissimis constantem partibus humanitatem tribuunt, nec satis habent, talem ei scientiae ambitum as-

assignare, qualis possit in Judaeo istius aevi, subtiliter docteque ad doctoris publici munus instituto, cogitari maximus, vel potius, qualis in eum caderet, qui centum annis, quam cum civitate patriâ sentiendi etiam sanitas penitus fuisset exstincta, Talmudicorum attigisset tempora; verum adeo quoque eum Graecorum literis non modo imbutum, sed perfectum fuisse opinantur, ut ad horum fabulas scenicas hoc opus summo artificio accommodaverit. Cum his igitur tantum abest, ut faciam, ut confidenter profitear, mihi videri auctorem neque aliâ nec copiosiori disciplinâ fuisse informatum, quam et in Judaeo quoque, paulo magis quam plebe polito, at cum primis pio Dei cultore, et in Christianorum antistite eâ aetate exspectaveris; in tali autem dico antistite, qui vel Jesum ipse audierit, vel certe doctrinam ejus puram satis atque integram ab auritis testibus acceperit, quique pro eo, quo erga magistrum illum affectus fuerit, amore nihil eorum intermiserit persequi, quae ab hoc commendata fuissent. Ut enim facile tibi persuadebis, studiose diligenterque ejusmodi virum sacras gentis suae literas tractasse, atque illud praecipue volumen, quo divina continentur oracula, quotidiano usu trivisse: ita non miraberis, quod totum hunc librum ab initio fere ad finem usque, memoriter, ut puto, plerumque, ex his componere potuerit. Namque argumentum supra jam ediximus, praeterquam ex Jesu vaticinatione, prorsus esse ex antiquorum effatis petitum; at ea quoque, quae ad formam potius, quam ad materiem operis spectant, rerum involucra et ornatum, imagines, translationes, et singulas subinde voces, vix concipis, quam varie atque abunde ex eodem fonte mutuatus sit: ut modo Jesaïae, modo Davidis, modo Ezechiëlis, Zachariae, Daniëlis verba expresserit, modo integra unius horum, modo plurium simul in unum conjuncta loca descripserit, interdum etiam nullius dicta presse secutus, communi omnium menti ac spiritui sua accommodaverit. Quare, ut Paulum, Petrum, reliquos Apostolos saepius ex tempore, aut in orationibus, aut in Epistolis, ita reperimus has literas vel tecte imitatos esse, vel plene perfecteque citasse, ut mirum quantum in iis exercitati fuerint, necesse sit: non aliter eae, assiduo in dies perlectae, ita videntur in hujus animo inhaesisse ac velut infixae fuisse, ut quidquid vellet effari, nedum in tali versatus materie, labor non esset, harum dictione utendi. Licet igitur longe plurima loca sic comparata censeam, ut collatis veterum scriptis, nihil ad explicationem desideretur: esse tamen aliquid lubenter fateor, et in universo libri colore et in singulis quibusdam enuntiatis, quod ab aureâ illorum, certe plerorumque, sim-

simplicitate aliquantum abhorreat, atque tersi minus et limati, quam crassi depravatique sensus indicio sit. Nimirum inter omnes constat, Hebraeorum ingenium, munditie olim atque integritate conspicuum, sane quam insignem insulsitatis labem contraxisse, quo tempore in Chaldaeorum terrâ exsules morati sunt. Partim enim ab hac gente, cum primis Orientalibus superstitioni deditâ, cum ab unius quidem Dei cultu non amplius desisterent, ineptas tamen notiones acceperunt de Illius statu, habitatione coelesti ac providentiae modo; ex quibus haec latissime patuit, quod Geniorum, tam bonorum quam malorum, infinitum numerum finxerint, his incredibile quantam in res creatas vim ac potestatem tribuerint, ac singulis et locis et hominibus adumbratas has naturas praepositas esse putaverint. Partim ab hac inde aetate antiquus ille dicendi color, et germana sentiendi ratio pedetentim evanuit; vera granditas cedere coepit tumori, concinna brevitas verborum ambagibus, imagines exquisitae monstris ac portentis, sobria translatio figurarum nimium extentarum languori. Consueverunt pueriliter de rebus disputare, minuta quaevis persequi, obscuras latebras, recessus absconditos, omne genus mysteria vel apertissimis quibusque inculcare, ac nugatoriis ineptiis praesertim uniceque delectari. Cujus ingenii depravationis quanta fuerit in eorum philosophiam et in studia quaelibet, et in poësin vis, nemo est, qui ultro non percipiat, aut ex luculentis certe exemplis non perdiscat. Ne enim dicam, quotquot fere post illud exsilii tempus ex historico genere, hoc est, simpliciter et sine ornatu, qui mos in Oriente obtinuit, à Judaeis opera perscripta exstant, in omnium argumento illius rei vestigia offerri et testimonia evidentissima: sane clarum et confessum est, quaecunque reperiuntur monimenta, sublimiore stilo condita, haec et à principio inde et magis sensim magisque turpiter esse eâ labe infecta. Nam, quod merito in Ezechiële reprehendis, id in Daniëlis atque Zachariae, quae feruntur, oraculis patentius etiam et explicatius cernitur; quaeque in his offendunt fuci ac ferocitatis notae, eae majores fere et magis odiosae in oculos incidunt, quo longius per illud spatium progrederis, quod inter Judaeorum reipublicae instaurationem et illud aevum interjectum est, quo late dominans Talmudicorum disciplina ultimam poëticae dictionis atque ingenii salubritati cladem intulit. Cum igitur tantos habuisse progressus istam cogitandi sentiendique insulsitatem appareat, nec literatis modo adhaesisse, sed in publicum manasse, omniumque vulgo animis fuisse inustam, credibile sit: quid prius, quaeso, ab hoc auctore exspectaveris, quam quod in tali versatus ma-

materie, ad quam elaborandam elatior character necessario requireretur, quaeque praeterea ex Daniële, reliquis, de quibus dixi, inferioris saeculi vatibus, magnâ sit ex parte petita: quod illius igitur tabulae et universum colorem et singula minutaque ornamenta ita comparaverit, ut vel, si aliorum quorumquam, illorum certe flosculos potissimum expresserit, vel si suâ sponte cogitata exquisitius vestierit, errores atque insipientiam aetatis suae misere ubique prodiderit. Quod adeo cum neque ubique nec misere, sed passim atque tolerabiliter, imo facete nonnunquam et gravem in finem, factum videamus, tantum abest, ut vel auctorem inde multiplici fuisse copiâ eruditionis patriae excultum concludamus, vel labem istam unde tandem contraxerit, miremur: ut satius virum agnoscamus, mediocriter humanum, scilicet cui doctiorum somnia latuerint, et suspiciamus ingenium, quod partim sua bonitas, partim religionis Christianae salsissima ratio eo adduxerit, ut et ab antiquissimis poëtis pulcherrima plurima, et ex recentiorum atque aequalium nugis non nisi quod levissime offendat, temperantius quam pro istâ aetate, petierit. Qui igitur Johannem illum, sicuti nos effinximus, mente informaverit, et num in talem virum tale cadat opus, circumspexerit, non dubito, quin frustra esse eos concessurus sit, qui exterorum literis non parum hunc fuisse imbutum cogunt, et ad scenicas Graecorum fabulas scriptionem suam accurate exegisse. Quae enim huic cum illis formae esse cognatio perhibetur, aut nativa plane et ab omni arte longissime remota est, aut adumbrata falsaque, et eorum modo oculis patens, qui conjecturam magnificam quam nudam veritatem persequi malunt. Nam sane, quod quae diverso tempore aliae ex aliis res essent gerendae, eas ita inter se connexas auctor proposuit, ut continuam quandam legitimeque aptam tabulam pinxisse videatur: illud non sentio, cur non ipsius naturae instinctui judiciique integritati debuisse, aut, si exemplorum auctoritate ei usus fuerit, cur potius à Graecis, quam à popularium vatibus didicisse existimetur. Quod vero convenientiam istam ultra quoque in singularum partium dispositione volunt conspici, atque adeo in varios actus et in scenas artificiose hoc opus dispertiunt: id nescio utrum qui primâ facie, an qui attentius penitiusque illius rationem consideraverit, magis sit ex animo aspernaturus.

Haec itaque, nec nova prorsus, nec, puto, obsoleta, in quibus velut in summis capitibus sententia nostra vertitur, à lectore anticipata velim haberi. Quae ut ipse demum caute omnibus perpensis, ex solo libri argumento et indiciis inte-

te-

testimis effeci: ita partim suo loco pressius explicabuntur atque arguentur, partim, postquam hisce positis difficillima quaeque solvi, et fluere cuncta apparuerit, vera ea esse ac testata constiterit. Cum ergo eum in finem haec praemittenda censuerim, tum ut generatim lector cognosceret, quid sibi à me exspectandum sit, tum ut à principio inde ad certa praescripta, etiam antequam singula probandi opportunitas fuerit, totius libri explanationem accommodare possem: age, jam nihil impedit, quominus inceptum aggrediar, et universe dicta, membratim omnia lustrando, enucleëm.

ANNOTATIO

Ad pag. 6.

(*a*) Caji locus exstat apud Eusebium, Hist. Eccl. III. 28, edit. Valesii, Moguntiae 1672, pag. 100. A. Quaestio est, utrum Cajus librum Apoc., qui Johannis nomine fertur, significaverit, an alium quendam deperditum, qui ad illius exemplar à Cerintho confectus fuerit (conf. Fabricii Cod. Apocr. N. T. Tom. III. pag. 953 seqq., edit. 2dae anni 1719.). Utraque sententia clarissimos defensores nacta est. Haec ex. gr. Twelsium, cujus disputatio inserta est Wolfii Curis, V. 414 seq., Hoffmannum ad Pritii Introd. in N. T., Lips. 1764, pag. 118, H. E. G. Paulum, commentt. Theol., potissimum historiam Cerinthi illustrantium, Jenae 1795, pag. 55 seqq., Hugium, Einleit. II. p. 542 seqq. (3 Edit. 593 seqq.) et nuper etiam Frid. Adolphum Heinichen, novae editionis operis Eusebiani, Lips. 1827, Tom. I. pag. 254. Illa, ne de Semlero dicam et de auditoribus ejus, Pritium ipsum, l. l., Michaëlem, Inleiding caet. 's Gravenhage 1781, II. 958, Bijvoegsels en Verbeteringen, Haarlem 1792, II. 444 seqq., Lessium, über die religion, Gött. 1787, I. 617 seqq., Haenleinium, Einleit. I. 253, Eichornium, Einleit. II. 412, Bertholdtium, Einleit. IV. 1780, 1786, N. 2, Heinrichsium, Comment. in Apoc., proleg. I. 20, alios quos hic citavit. Nobis quidem in horum sententiam discedendum esse videtur, partim, quod Eusebium locum sic intellexisse apparet, qui certe, integro Caji scripto usus, de orationis serie melius judicare potuit; partim, quoniam argumenta, quae ad contrariam suspicionem probandam afferuntur, non multum valent. Verum, cum hujus loci non sit, accuratius haec persequi, tum in alterâ libelli parte rem deditâ operâ explorandi occasio erit. — Dionysii Alexandrini judicium copiose descripsit idem historicus, VII. 25. — Lutherus sententiam suam proposuit, prius quidem magis acerbe, in praefatione ad hujus libri editionem anni 1522; conf. Mich. l. l. p. 938; dein vero temperatius in praefatione anni 1534: conf. idem p. 940.

Ad pag. 7.

(*b*) Semleri mentem, quantum potui, brevissime expressi. Ut vero longe abest, ut usquam ipse de dubitationis suae et antecessione et consequentiâ in hunc modum exponat: ita nullus dubito, quin, si qui scripta ejus attente perlegerint, facile agnoscant, me à vero non procul aberrasse. — Ex Libellis autem, quos vel ipse Semlerus, et alii, qui ex ejus parte fuerunt, vel horum adversarii super hoc argumento ediderunt et sibi invicem opposuerunt, hi sunt praecipui:

(Jer. Frid. Reuss. dissertatio Theologica de auctore Apocalypseos. Tub. 1767. 4.)

 (G.

(G. L. Oeder) Christliche freije untersuchung über die so genannte Offenbarung Johannis. Aus dessen nachgelassenen handschrift herausgegeben mit anmerkungen von Joh. Sal. Semler. Halle 1769. 8.

Christ. Frid. Schmid. Recension dieser untersuchung in seiner theologischen Bibliothek, zur rettung der Apocalypse.

J. S. Semler. Antwort auf die Tubingische vertheidigung der Apocalypsis (von Jer. Frid. Reuss.; vide supra) im anhang zum erster theil seiner abhandlung von freier untersuchung des Canon, Halle 1771. 8; zweijte auflage, 1776. Seite 173—387. Passim etiam in ipso hoc opere, cujus volumen alterum prodiit Hallae 1772, tertium 1773, quartum 1775.

C. F. Schmid. Ob die Offenbarung Johannis ein ächtes göttliches buch ist. Eine kritische untersuchung, u. s. w. Leipzig. 1771. 8.

(Frid. Andr. Stroth.) Freymüthige untersuchungen, die offenbahrung Johannis betreffend, wider Herrn Prof. C. F. Schmid, mit einer vorrede des Herrn J. S. Semlers. Halle. 1771. 8.

J. F. Reuss. Vertheidigung der Offenbarung Johannis gegen Herrn Dr. Semler. Francf. 1772. 8.

Franz Anton Knittel. Beyträge zur Kritik über Joh. Offenbarung. Braunschw. und. Hildesheim. 1773. 4.

C. F. Schmidii Historia antiqua et vindicatio canonis sacri veteris novique Testamenti, Libris II comprehensa. Lips. 1775. 8. inpr. pag. 486 seqq.

J. S. Semler. Neue untersuchungen über Apocalypsin. Halle. 1776. 8.

(F. G. Hartwig). Apologie der Apokalypse wider falschen tadel und falsches lob. 4 Bände. Chemnitz. 1780—1783. 8.

J. S. Semler. Theologische Briefe. Erste bis dritte Samlung. Leipz. 1781, 82. 8.

Mich. Merkel. Historischkritische aufklärung der streitigkeit der Aloger, und anderen alten lehrer über die Apok., zum zuverlässigen beweise, das die Apok. ein untergeschobenes Buch ist. Francf. und Leipzig. 1782.

Gottlob Christ. Storr. Neue Apologie der Offenb. Johannis. Tübingen 1783 (1805). 8.

M. Merkel. Umständlicher Beweiss das die Apokalypse ein untergeschobenes Buch seij. Francf. und Leipz. 1785.

G. C. Storr. über den zweck der Evangelischen Geschichte und der Briefe Johannis. Tub. 1786. 8. passim. Denique

J. F. Kleuker. über den Ursprung und Zweck der Offenb. Johannis, nebst einer volständigen Beurtheilung alles dessen, wodurch sich die Geschichte der Erklärungsart dieses Buchs merkwürdig gemacht hat. Hamb. 1800; qui libellus separatim est editus ex ejusdem opere: ausfuhrliche untersuchung der gründe fur die Aechtheit und

Glaub-

(*l*) Difficultatem hanc tollere Herderus studuit, pag. 281—288, ita quidem, ut primum ostendere conatus sit, non potuisse librum ad Christianos Palaestinenses mitti, dein commode eum ad Asiaticos illos scriptum esse, ac tandem nihil obstare, quominus ab iis intellecta ejus sententia fuerit. En disputationem ejus paucis contractam: « Die übersendung dieser Geschichte nach Jerusalem war nicht nur unnöthig; sie wäre von allen seiten schädlich worden; wie jeder bei einer kleinen überlegung siehet. Unnöthig war sie: den die Christen in Judäa hatten Christi prophezeiung vor sich, die gerade in dem grad von klarheit war, der fur sie gehörte. Das Stadt und Tempel untergehen wurde, war ihnen kein geheimniss. Sie wusstens und litten ja auch eben desswegen vervolgung von den Juden, denen diese weissagung zu ohren kam. — Es ist allgemein bekannt und auch von denen zugestanden, die in der Apokalypse kein wort von Jerusalems untergange finden wollen, dass die Christen, eingedenk der worte Christi, sich aus Judäa und Jerusalem bald zu anfange des kriegs gerettet und jenseit des Jordans sicherheit gefunden haben. — Der Erfolg selbst also, der gewisseste beweis, zeigt, dass ihnen die Offenbarung als Rettungsmittel gar nicht nöthig gewesen sey: sie wurden ja ohne sie gerettet. — Und wäre sie ihnen blos unnoth; nicht auch schädlich gewesen? Allerdings schädlich. Lasset uns setzen, das Buch wäre in dem Jahre, worin es geschrieben war, an sie gekommen; was sagen sie in ihn, als ein übertäubendes meer der trübsal, wo ihnen woge für woge fürchterlich ins ohr rauschte, und wo sie doch keinen tropfen abwenden konnten; sie sollten, sie mussten, sofern das Buch sie anging, dies meer hindurch. Wäre dies trozt oder quaal? und nicht unnöthige, furchterliche quaal gewesen? gewiss das letzte. Die Vorsehung hatte sie an den ort gestellt, wo sie ausdauren, als knechte Gottes erwiesen werden sollten: um dies zu seyn, mussten sie nicht zu helfe voraussehen, sie mussten, als Streiter Christi, gleichsam im schatten fechten. —— Dies von einer seite; von den andern seite, dem inhalt des Buchs nach, gehörte sie für Judäa gar nicht. Ihr zweck war nicht, eine kleine politische Revolution, als solche zu bezeichnen; jene ist ihr nur Katastrophe zu freier, höherer Ansicht. Zukunft des Reichs Christi ist ihr inhalt, keine National unglück; und so musste sie auch ins Feld, in einen Gesichtspunkt gestellt werden, wo man diesen sinn übersehen konnte und wollte. Die unterdrückten Christen zur zeit der noth konntens nicht; das übel war ihnen zu nah, sie hingen menschlich an dem partikularen ihrer begebenheit ihres schiksals. —— Das Buch der Offenbahrung war also an Gemeinen gesandt, denen Judäa fernlag, die an seinen schicksal nur als zuschauer, am Reich Christi aber als bürger, als hoffende antheil nahmen. In ihrer innersten nähe ists, wo Christus wandelt. Endlich bedenke man, was das Buch an gültigkeit, und verstandlichkeit gewann, wenn es Johannes sandte, wohin es Christus ihn senden liess. Ieder Prophet sprach zu den seinen: Johannes seele lebte im kreise seiner Bekanntschaft.

schaft. Hier kannte, hier verstand man ihn: hier war er als Zeuge Jesu bewährt, hier dorfte er nicht erst als Prophet bewährt werden".

Aliam plane, et multo scilicet faciliorem hujus difficultatis tollendae rationem proposuit J. C. Harenberg in libro: Erklärung der Offenbahrung Johannis, Braunschw. 1759. 4. Is enim conjecit, septem coetuum Asiaticorum nomine dici septem Συναγωγὰς Hierosolymitanas, in quas Christiani ex urbibus illis Asiaticis oriundi, ad sacra perficienda convenire soliti fuerint!

Ad pag. 30.

(*l*) Mutavit Eichornius sententiam de aetate libri, in commentario, praef. pag. XLIV et XLV propositam, in Einleitung in das N. T. II. 117 folgg. 388 folgg. Nam in commentario, anno 1791 edito, sic censuit: « fidem habendam esse antiquorum narrationi, qui traderent, anno 14 Domitiani Johannem in Patmum deportatum fuisse; consequi ergo, ut, cum gratâ fraude usus, in hac desertâ insulâ sibi impertitam esse hanc vaticinationem fingat, librum certe non scripserit, antequam exsul ibi degisset. Cum vero in Cap. XVII. ipse profiteatur, se Vespasiano imperante haec oracula edere, ante oculos quidem positum esse, ei quod in initio libri finxerat, e memoriâ excidisse; verum quandoque etiam bonum dormitare Homerum. « — Haec igitur cum viderit, credo, satis temere sumta fuisse, deinde, fide omni veteribus negatâ, statuit Johannem in Patmo nunquam exsulasse; hanc autem fabulam ex ipso Apoc. libro male intellecto fluxisse; quare potius auctori ipso credendum esse, qui Vespasiano imperante se haec scripsisse prodat, quam Irenaeo, Tertulliano, aliis, qui cum sensu poetico plane destituti, non agnoverint, locum a vate fictum fuisse, ipsi etiam tempus excogitaverint, quo in hunc deportari potuerit. —

Ad. pag. 33.

(*m*) Leguntur haec commentarii vol. I., pag. V—XI praefationis. Multo autem copiosius eandem rem persecutus est in Einleit. II. 531. seqq.

(*n*) De multiplici artificio, quo auctor in hoc opere condendo usus fuerit, ac de ingenio ejus et doctrinâ Eichornius exposuit, Comment praefat XXIII — XLIV, inprimis vero Einleit. II. 537. folgg.

Ad pag. 38.

(*o*) Loca exstant apud Suet. in vitâ Neronis c. 40; apud Tacitum, Hist. II. 8 I. 2, et Suet. l. l. c. 57; conf Eichornius ipse in comment. ad XVII. 8.

Ad pag. 42.

(*p*) Conf. de iis, quae brevi contraximus, ipse Heinrichsii comment. (N. T. Edit. Kopp. vol. X)., ac de auctore quidem libri, inprimis prolegomena ad part I, pag. 51, 64, 55; de doctrinâ ejus, pag. 79; de argumento libri inter se concilientur loca, pag. 59, 68, 70, 73 in annot., 88, et 95; quo facto nescio an comperturus sis, dubie quidem et implicite disputasse virum eruditissimum, at sententiam tamen ejus non aliter exprimi posse, quam à nobis supra factum sit.

Ad

tium aetate antiquorum narrationi accommodare studuerit. « In Patmo", ait, « scriptam Apocalypsin tradit Dorotheus, Tyri Episcopus; Ephesi scriptam, Eusebius. Utrumque verum est distinctis partibus. Priora in Patmo visa et perscripta, posteriora Ephesi, ut infra dicemus. Fuisse autem Johannem in Patmo Claudii jussu, et ibi visis illustratum, tradidit Epiphanius in Alogis, non dubium quin veteres secutus. Et id verum puto. Nam et alii ante excisa Hierosolyma scribi hunc librum coepisse, argumentis non malis colligunt. Proconsul Asiae cum intelligeret, Ephesi novam exsistere sectam Judaeorum, cujus princeps esset Johannes, atque inde turbas oriri, quales illae, quae describuntur Act. XIX, scripsit de eo, ut credibile est, ad Claudium, peregrinis religionibus inimicum: Cujus jussu Johannes, quasi seditiosus, deportatus est in insulam. — —Firmat hanc de deportatione Johannis per Claudium factâ sententiam, quod Johannes infra Imperatores Romanos à Claudio numerare incipit, sicut tempora Ezechiel à suâ deportatione numerat. Non obstat his, quae diximus, id quod ab aliis traditum est, à Domitiano Johanni irrogatum Patmi exsilium. Nam vetera contra Christianos edicta sustulit Vespasianus, ut ex Tertulliano discimus, restituit autem Domitianus. Quare, qui Vespasiani tempore domum ab exsilio redierant, ii iterum in idem exsilium missi sunt à Domitiano. Ea autem visorum pars, quae Johanni in urbe Ephesi obtigit, pertinet ad Vespasiani tempora, ut et infra patescet".

Ad pag. 18.

(*e*) Quae ad explicationem coli 11 in medio posuit, faceta magis, quam facilia sunt. Postquam enim dixisset, nomine *τοῦ ἀγγέλου τῆς ἀβύσσου* indicari Satanam, Zelotarum veluti Regem, haec addit ad verba: *καὶ ἐν τῇ ἑλληνικῇ ὄνομα ἔχει 'Απολλύων.* Poterat dixisse *'Ολοθρευτὴς* vel *'Εξολοθρεύων*, sed maluit alludere ad nomen Apollinis, quod velut proprium Numen Caesaribus. — — Sicut autem Judaei solebant falsorum deorum nomina levi flexu in contumeliam mutare, ita et hîc fit in Graeco nomine: vicina enim sunt *'Απόλλων* et *'Απολλύων*· — — Dicunt illi Zelotae inimicos se Caesaribus, utpote idololatris, cum tamen ipsi eidem spiritui serviant, quem in Apollinis nomine Caesares colunt, et magnitudinem Romanam suaeque gentis exitium quam maxime promoveant.

Ad pag. 22.

(*f*) Parum, credo, placebunt, quae ad hanc difficultatem tollendam ipse in medio posuit. Ad primum enim locum scribit: *'Εν τάχει*] « Alia citius; serissima, uno aut altero loco exceptis, qui obiter adduntur caeteris, intra annos supra quingentos. Parum enim hoc ad tempus, quo stetit mundus." Ad alterum locum haec notavit: *ὁ γὰρ καιρὸς ἐγγὺς*] « Quorumdam; ut de bellis civilibus Romanorum, de Hierosolymorum excidio." Eodem fere modo jam ex antiquis Andreas et Arethas, in Commentariis suis, hanc difficultatem tollere studuerunt; scribit enim alter, cap. I col. 1. *Τὸ δὲ ἐν τάχει γενέσθαι, σημαίνει τὸ, τινὰ μὲν αὐτῶν παρὰ πόδας γενέσθαι τῆς περὶ*

αὐ-

αὐτῶν προῤῥήσεως, καὶ τὰ ἐπὶ συντελείᾳ δὲ μὴ βραδύνειν· διότι χίλια ἔτη παρὰ θεῷ ὡς ἡ ἡμέρα ἡ ἐχθὲς, ἥτις διῆλθε, λελόγισται. (Ed. Fr. Sylburgii, anni 1596, pag. 3) Alter, ad I. 1: τὴν ἔκβασιν τῶν χρηματιζομένων ἐν τάχει ὑπισχνεῖται προβῆναι, οὐχ ὡς ἔτυχεν, ἀλλὰ παραμετρῶν τὰ ἀνθρώπινα τοῖς θείοις, οἷς καὶ τὰ πολυχρονίως καὶ χιλιοστῶς ἐκτελούμενα, ὡς ἡ χθὲς ἡμέρα, καὶ ἡ ἐν νυκτὶ φυλακὴ, κρίνεται· ἢ καὶ φιλοτιμότερον προσβαλεῖν τῷ, (τὸ?) ἐν τάχει, τοῦ ἀνυπερθέτως παριστῶντος ἐστὶ τὴν ἔκβασιν λήψεσθαι τὰ δηλούμενα, μηδὲν τῆς παρατάσεως οἵας τε οὔσης τὸ συντελεσθῆναι λυμήνασθαι, ὡς οὐδὲ τὸ σήμερον τοῦ ἐχθὲς παρατεινομένου, ἐὰν μὴ, εἰς ὅπερ ἀφῖχθαι ἀποκείμενον εὐκαίρως παρῇ, μηδεμιᾶς ὑπολιπομένης τῷ πράγματι βραδυτῆτος πρὸς καταδοχὴν, ἀποδιαπομπήσασθαι εὐπρεπές. (ex edit. Veronensi anni 1532, in quâ annexus est hic Arethae Comment. Oecumenii Commentario in Acta App., Ep^{as} Cathol. et Ep^{as} Paulinas pag. 883; edit. Paris. 1631 pag. 646).

(g) Titulus libri est: Μαραν ἀθα (*Dominus noster venit*). Das buch von der zukunft des Herrn, des Neuen Testaments Siegel. Rigae 1779.

Ad pag. 26.

(h) Ipsa Herderi verba accipe, quae Latine vix exprimi posse videbantur; l. l. p. 147. « Soll die zahl, als zahl, bedeuten: 666, so wie die zahl 12. 24. 12000. 144000. in diesem buche; so ist ihre bedeutung offenbar. Alle diese zahlen sind gerade und wurzelzahlen, die Johannes selbst in ein ander führt, und damit die zahl der Erwählten, die wurzelzahl des himmlischen, ewigen Cubus begründet; 666 ist irrational und gibt keine gerade wurzel. — Diese kommt der fatalen zahl 25, mit dem fatalen bruche 41. am nächsten; ist aber ein scheinzahl, 666, die dem ansehen nach viel proportion verspricht und doch keine hat: gerade, wie er den Antichrist bezeichnet: *Er wär und ist nicht, kommt und ist nicht mehr:* ein scheinwesen; da Christus der Herr *ist und war und kommt*, und auch sein reich durchs ganze Buch hin sich in die vollkommene zahl 7., und in den ewigen Cubus der 12 endet. " — Uti admirari semper soleo elegantiam, ac pulchri verique sensum, qui in Palmio, nostrate celebratissimo, conspiciuntur: ita eaedem virtutes sane quam magnifice mihi pellucere videntur ex annotatione, quam Apoc. libri editioni Belgicae subjecit. Cum enim inter omnes, quae ad hunc librum explicandum adhuc propositae essent, rationes Herderianam longe optimam duxerit, atque adeo hanc sequi, quam aliam quamcunque, maluerit: longe tamen abest, ut non agnoverit, Herderum plus semel, ingenio abusum, à vero deflexisse: quare non pauca ejus placita silentio transiit; plurima dubitanter in medio posuit, (conf. ad. h. l.); alia egregia, ut facile auguraris, de suo addidit. Legenti cuique hujusce rei exempla patebunt.

Ad pag. 29.

(i) Copiose hanc quaestionem tractavit à pag. 289—319.

(k).

Glaubwürdigkeit der schriftlichen urkunden des Christenthums, Hamb. 1799, IV. Band. Seit. 671 seqq.

Atque haec scripta nunc quidem fere omnia possideo, partim Suringaris, viri cum primis praeceptoribus meis et docti et officiosi, ope ad me perlata, partim à Voorstio et ab aliis mihi benevole commodata. Eo autem tempore, de quo in ipsâ disputatione dixi, nullum aliud Semleri scriptum, praeter ea, quae *quarto* et *decimo* loco memoravi, mihi praesto fuerunt. Quare, si qui ad manum habeant, haec velim praecipue cum dictis conferant; loca enim singula citare vix operae pretium videtur, quoniam universae scriptiones in eodem versantur argumento, et multifariam eadem enuntiata repetuntur.

Ad pag. 14.

(*c*) Ne quis miretur, quod ex eorum numero, qui post Heinrichsium Apoc. librum explicare conati sunt, nullum hic memorem. Namque G. H. A. Ewaldi, Professoris Gottingensis, Commentarium Exegeticum et Criticum, jam aliquamdiu editum, (nempe si fides habenda est librorum indici Francfurtano) nondum accepi; in quo uti nullus dubito, quin egregia multa et praeclara insint: ita reliqua omnia, quae novissime in Germaniâ prodierunt, magis ad antiquas tenebras reducendas, quam ad novum lumen spargendum faciunt. Literato cuique ejus rei exempla, credo, jam ex chartis diariis nota sunt. Quare alia quidem tacebo; at de duobus tamen libellis, qui, anno 1827 editi, nuper demum ad me pervenerunt, paucissima juvat in medio ponere; cum enim nesciam, an inter nostrates nondum pervulgati sint, est forte, ut luculento specimine prodam, in hoc studiorum genere multum abesse, ut recentissima quaeque salsissima sint et optima. Alter horum inscriptus est: Eine ganz neue Enträthselung der göttlichen Offenbahrung Johannis, zum weiteren nachdenken und prüfung vorgelegt, von J. L. F. Weigenmajer, Tubingen, 8. Accipe, quaeso, ea, quae auctor ipse gloriatus est, se *nova* proferre:

« Unter dem bilde der vier Reuter werden die vier Haupt-Religions-Parthieen
« des römischen Reichs durch zerschiedene farben und schilderungen bezeichnet,
« nämlich :

1. die christlich apostolische Parthie. VI. 2.
2. die griechisch arianische Parthie. VI. 4.
3. die muhamedanisch türkische Parthie. VI. 5, 6.
4. die päpstlich lateinische Parthie. VI. 8.

Im fünften Siegel seufsen die Waldenzer und andere unter den Dominikanischen. Inquisitions- und blut-gericht. VI. 9 seqq.

Im sechsten Siegel tretten die Protestanten und französische Revolutionairs wider das Papstthum auf. VI. 12 seqq.

Im siebenten Siegel erfolgt endlich die tausendjährige Toleranz und Sabbatstille VIII. 1.

In

In den Posaunen werden neben anderem die wichtigsten Regenten - Geschlechter kenntlich gemacht, welche sich theils für, theils wider das Christenthum ausgezeichnet haben, nämlich:

1. das chlorische Geschlecht mit dem ersten christlichen Kaiser. VIII. 7.
2. das merovingische Geschlecht mit dem ersten christlichen König. VIII. 8.
3. das carolingische Geschlecht mit dem ersten Sachsenbekehrer. VIII. 10.
4. das deutsche Geschlecht mit dem ersten Dänenbekehrer. VIII. 12.
5. das lateinische Geschlecht mit fünf antichristischen Regenten. IX. 1 seqq.
6. das östreichische Geschlecht als amerikanischer Heidenbekehrer. IX. 13 seqq.
7. das Napoleonische Geschlecht als zweimaliger Revolutionair. XI. 15.

Die Zeiten werden durch die zahl 666 aufgelöst, welche mit ihrem verborgenen Dreier oder halben Sechser auf die Zahl 21 hinauslauft, und worauf auch alle Zeiten Daniels und der offenbarung, mit 6 berechnet, hinauslaufen.

Vierthalb Zeiten, eine Zeit zu 6 Jahren gerechnet, machen 21 Jahre (die französische Revolutions-Jahre!)

42 Monden, 1 Monat mit 6 multiplicirt, und mit 12 dividirt, machen 21 Jahre.

Vierthalb Tage, 1 Tag zu 6 Tagen gerechnet, machen 21 Tage (von 7 bis 29 Novemb. 1793!)

Zulesst wird das zweimalige Revolutions-Thier mit seinen sieben Häuptern und zehen Hörnern nebst seinem Glück und Unglück vorgestellt, welches in den sieben Zornschalen, und Cap. 17, 18, 19. besonders zu finden ist. — Ex ungue leonem! —

Alter libellus titulum habet: *über die Offenbahrung Johannis, von Müller*, Berlin 8. Qui uti longe brevior est, ita auctor non admodum curasse videtur, ut sententia ipsius à lectoribus ubique agnosceretur. Hoc unum apparet, omnium rationes ei displicere, qui hanc vaticinationem jam exitum nactam fuisse putaverint; quare res adhuc futuras portendi existimat, et cap. XIII seqq. de imperio agi, quod olim oriundum, maximas angustias terrarum incolis, praecipue Christianis, citurum sit. Hunc etiam interpretem ex uno loco pernosce: (ad cap. XIII. 18,) « Man hat mit recht die erklärung der Zahl χξϛ durch Λατεῖνος verworfen, und eher geglaubt, das weil χϛ das Symbol der Christen sey (nämlich χριστὸς σταυρωθεὶς), durch die einschiebung des ξ, als zeichen der verachtung Christi (veilleicht ξύλῳ, aus (ans?) kreuss, in verächtlicher bedeutung) sich die feinde Christi unterschieden von den Christen, und das also überhaupt dies Maalzeichen nichts weiter bedeute, als sich offenbare für einen feind Christi erklären. Wir sind selbst dieser meinung, lösen aber χξϛ auf durch χρίστου σταυρωθέντος ξενοὶ, nämlich ἐσμεν, d. h., wir sind offenbahre Feinde Christi!"

Ad pag. 16.

(*d*) Conf. ejus annotatio ad I. 9; IV. 1, et XI. 18 in fine. Ex loco, quem primum citavimus, apparet, quomodo sententiam suam de diversâ diversarum libri partium

Cum praeter spem voluntatemque meam serius coeptus sit hic liber typis exprimi, quam ut, quae publicae quaestioni objicere cogitavissem, adhuc absolvi potuerint, tum obstitit gravissima causa, quominus disputandi haec solennia diutius differrentur. Quare, postquam paucae hae, ac certe leves, plagulae essent paratae, ad subsistendum necessario coäctus, spondeo quidem, me, quod integrae priori parti deëst, mox curaturum, ut à quoque possit comparari; at ne vel sic parum officio satisfecisse videar, neu multis, qui dein edenda neglecturi sint, sententia nostra, nondum articulatim proposita, plane lateat: opportunum duxi, jam ea, quae ad alterum hujusce Partis caput debuissent adjici, brevissime contracta, et ad aliquot quaestiones simpliciter revocata, omnium oculis exhibere, curtoque huic libello *thesium* loco subjungere.

T H E S E S.

I.

Primum igitur, uti *res proxime futuras* auctorem voluisse vaticinari, tum inde patet, quod ad septem Christianorum aequalium familias totum hunc librum perscripserit, tum arguunt loca: I. 7; II. 5, 16, 25; III. 3, 11; XVI. 15; XVII. 10—12; XXII. 6, 7, 10, 12, 20: ita non minus est evidens, eum de *reditu Jesu Christi adspectabili et corporeo* cecinisse. Conf. I. 7, II. 5, 25; III. 3, 11; VI. 15—17; XIV. 7, 14 seqq.; XV. 3, 4; XVI. 14, 15; XIX. 6, 7, 11 seqq.; XXII. 7.

II.

Rediturum ergo Jesum praedixit, ut regnum suum in hoc terrarum orbe conderet; in cujus societatem pios Christianos esset adsciturus, malis exclusis; conf. I. 5, 6, 9; II. 5, 7, 10, 16, 25—28; III. 4, 5, 16, 21, 25; V. 10; XI.

15,

15, 18; XII. 5, 10; XIV. 4, 5, 12, 13; XV. 3, 4; XVI. 15; XVII. 14; XIX. 6—8, 11 seqq.; XX. 4—6; XXI. 6—8, 27; XXII. 5, 11, 12, 14, 15; ita ut simul poenâ atrocissimâ disciplinae suae adversarios affecturus esset; I. 16; VI. 15—17; IX. 4, 6; XI. 18; XIV. 8—11, 14—20; XVI. 5, 6, 19; XVIII. 2, 3, 7, 8, 20; XIX, 2, 11 seqq., 15, inprimis 17—21.

III.

Patet vero, hunc librum eum in finem esse conditum, ut et bonis adderetur animus, et mali à visiositate abducerentur, et socordes excitarentur, et omnes admonerentur, ut *angustiarum brevi futurarum* tempore constarent in religione et in virtutis studio. Conf. I. 5—9, 16; II et III; VI. 11; VII. 3 seqq., 9 seqq.; 13 seqq.; IX. 4, 20, 21; XI. 18; XII. 11; XIII. 8—10; XIV. 1, 5, 7, 9—13; XV. 2 seqq.; XVI. 2: 15; XVIII. 4, 5, 20; XIX. 9; XX. 4—6, 14, 15; XXI. 3—8, 27; XXII. 5, 7, 11 seqq., inpr. 14, 15. — Quo posito, quis tandem exspectet, talia hoc opere contineri, quae Asiaticis illis aut plane inexplicabilia, aut ad intelligendum certe difficilia fuerint?

IV.

Jam, cum ex omnibus libri partibus idem auctoris consilium pelluceat, Epistolae illae, II et III, ad singulos eorum coetus, ad quos universos totum opus perscriptum sit, ideo videntur praemissae, ut quod separatim aut laudandum aut reprehendendum esset, commode posset in medio poni. Οἱ ἄγγελοι vero τῶν ἑπτὰ ἐκκλησιῶν, I, 20; II. 1 caet., vehementer dubito, an *earum Antistites* ab auctore dicti sint; ac fere contendo, *Genios tutelares* hoc nomine indicatos esse, qui singularum velut personam sustinerent, earumque rebus essent praepositi; similes certe naturae infra, et igni et aquis et Hierosolymorum, ex coelo delatorum, portis praeësse dicuntur, XIV. 18; XVI. 5; XXI. 12; (conf. VII. 1; IX. 11, 14.); atque in aliis ejusdem aetatis scriptis plura id genus opinionis vestigia exstant. Matth. XVIII. 10. Joh. V. 4. Act. XII. 15. Conf. Dan. X. 13; XII. 1 alia.

V.

V.

Quod ad falsos istos doctores attinet, quos Νικολαϊτῶν nomine, II. 6, 15, auctor notavit, manifestum quidem est, eos ad mores dissolutos Christianos pellexisse, ac scortandi, quaeque diis adumbratis sacrificio oblata fuissent, edendi libertatem iis inculcasse; (conf. ejusdem rei exemplum 1 Cor. VI. 12; VIII. 9 seqq. X. 1. seqq.) at quaeritur, unde nomen istud illis exstiterit? Inter recentiores fere omnes convenit, Graeco hoc vocabulo Hebraïcum בלעם expressum fuisse, ac simpliciter tales indicari perductores, qui ad scelera eadem, ac Bileämus olim Israëlitas, tum Christianos tentaverint. Quam opinionem, ut specie ipsâ commendatur, ita verissimam esse prope constat ex II. 14 ut 15 inter se collatis. At vel sic eam rejiciendam existimem, si necessario consequatur, ut auctor animi causâ hanc translationem hîc ipse excogitaverit; intelligi enim à suis voluit, atque hos se emendare satius, quam cum eorum damno artificiosum esse, studuit. Quare nullus dubito, quin in communi usu, ab Judaeis primum recepto, jam ante iis Christianis fuerit, ut ejuscemodi homines turpi hoc nomine notarent. Quo sumto, Irenaeus et reliqui, qui de Nicolaïtis, tanquam de singulari quadam sectâ mentionem fecerunt, saltem non plane mentiti sunt. — De nomine Jesabelis, II. 20, ejusdem generis corruptrici imposito, similiter censeo.

VI.

Verum, roget quis, cur ad *septem* illos, non ad plures, Asiaticorum coetus hic liber scriptus est? Nimirum, ajunt, quod *sacro numero* auctor uti voluerit, quo simul *omnes* comprehenderentur. At *primum*, cave putes, toties auctorem certum aliquem numerum ad arbitrium finxisse, quoties interpretes statuerint; *deinde*, nescio, an opinio illa per I. 11, et per ipsarum Epistolarum inscriptionem facile refellatur: ibi enim, quos supra conjunctim appellaverat, I. 4, jam singillatim percensendo, eos à reliquis omnibus, si qui fuerint, diserte auctor distinxit. *Denique*, indignum videtur, conjicere, hunc in re tam gravi molestum dicendi genus affectasse. Quapropter, cum per alia indicia testatum sit, Nerone Imperante hoc opus prodiisse, sic censeo, suadente inprimis articulo, ἑπτὰ ἐκκλησίαις et in colo 4 et in 11 praeposito, ortum ejus incidere in illud spatium, quod inter annos quartum et octavum regni Neronis interjectum fuit. Quo tempore, cum *septem*

 hos-

hosce coetus in Asiâ Proconsulari (τῇ Ἀσίᾳ, Act. II. 9 caet.) exstitisse, sane quam probabile sit, tum alios simul jam adfuisse, frustra intenderes. Nam Epistola ad Colossios unâque ad Hieropolitanos à Paulo data, uti nono demum Neronis anno scripta est, ita ipsa evidenter declarat, coetus eos certe ab alio quam ab hoc Apostolo conditos fuisse. Conf. I. 6—9; II. 1.

VII.

At missis, quae leviora sunt, ipsam vaticinationem attendamus. Jesu igitur Regis παρουσίαν significare auctor voluit; quam καταστροφὴν, cum ei persuasum fuerit, horrifica malorum portenta praenuntiatura esse, tum proxime ante, quam laetus ipse ac gloriosus exitus subsequeretur, tempestatem fore periculosissimam exspectavit, quae propter angustiarum diritatem vix eluctabilis, per *tres et dimidium annos* continuos esset permansura. Quare rerum gerendarum seriem ex ordine persecutus, primum de prodigiis istis, tum de hac discriminis procellâ, tandem de eventu ipso faustissimo cecinit.

VIII.

Itaque in coelum se traductum fuisse, fingens, quae hîc vidisset agi, à cap. inde IV suis impertiit. Liber fatalis, quo continerentur ea, quae cum *Jesu Christi* παρουσίᾳ imminerent, septemplici munitus sigillo, ipsius conspectui objectus fuit; sigillis ab Jesu alio ex alio ruptis, rerum gerendarum *omina* prodierunt, et calamitatis atrocissimae *portenta*, suâ jam atrocitate molestissima. Postquam enim, apertis quinque prioribus, evidenter nuntiatum fuisset, Messiae victoriam instare, VI. 1, 2, terrarum incolis variam ac multiplicem aerumnam parari, 3—8, et Christianorum sanguinis, foedum in modum profusi, gravissimam ultionem ab iis petitum iri, 9—11; postquam haec igitur *symbolorum ope* ad notitiam ipsius pervenissent: jam in rem praesentem velut adductus, ad actionem ea mala revocari vidit, quae hominibus prodigio futura essent, extremum discrimen mox imminere; VI. 12—17, VIII, IX integra. (Interim vero et manifestum specimen studiosae Dei curae erga pios agnoverat, et beatitatis eorum, qui pro religionis causâ jam cecidissent, laetus ipse testis fuerat. VII. 1—8, 9—17.)

I X.

Cum igitur, senis sigillis remotis, singula ostenta prodiissent, aliter aperto septimo accidit, VIII. 1; hoc enim, quippe omnium et ultimum et gravissimum septemplex denuo funestissimi *ominis* calamitas insecuta fuit, VIII. 2—IX fin. Quo factum, ut cum ipsam rem, portentis significatam, una cum sigilli hujus solutione jam actum iri exspectasses, ea ad septimae usque tubae cantum, XI. 15, adhuc dilata fuerit. — Sic, ut exemplo id illustrem, senis diebus continuis Hierichuntis urbem semel ambiisse, et inter ambeundum classicum inflasse Israëlitae leguntur; septimo autem die septies, ac septimâ demum circuitione peractâ, moenia concidisse.

X.

Ea vero malorum portenta, uti non Judaeos solos, aut ullam gentem singularem, sed generis humani universitatem pressura esse, auctor praedixit, (Conf. VI. 4, ἐκ τῆς γῆς, 8, 10, 12—17; VII, VIII. 7, 8, 10, 12, 13; IX. 2—4, 6, 10, 15, 18, inprimis autem 20, 21): ita longissime abest, ut aliud quidquam eum significasse censeam, quam propria vis verborum indicet. Quid enim? Partim Jesu Christi vaticinationem copiosius repetiit, partim poëtarum antiquorum loca expressit, interdum pro suo et aequalium sensu monstra satis horrifica confinxit. Conf. VI. 4. cum Matth. XXIV. 6, 7[a]; VI. 5, 6 cum Matth. col. 7[b]; VI. 8 cum M. col. 7[c]; VI. 12 seqq. cum M. col. 29, Luc. XXIII. 29, Jes. XXXIV. 4; caetera; praecipue IX. 1—12 cum Joël. II, et IX. 13 seqq. cum Zach, V. 7—11, Tobiae VIII. 3, Matth. XII. 43—45, infra. XVIII. 2.

X I.

Jam prodigia desierunt, ac soluto penitus fatali Codice mox ad *Septimae tubae* cantum ea angustiarum tempestas oculis objicienda fuit, quam Messiae reditus extemplo esset excepturus. Quod ut vates attenderet, simul vero, ut, antequam ipsum istud discrimen agi vidisset, jam ex aliquâ parte rationem ejus praenosceret: Genius coelestis magnificentissimâ specie *intervenit*, eumque de aperti libri argumento aliquanto certiorem reddidit, X. XI. 1—13: Fore nimirum, ut cum

 pri-

primum tuba septima inflata fuisset, earum rerum initium fieret, quarum exitum consequeretur Dei promissorum absoluta expletio, X. 7; partim ergo summopere gaudendum, ac faustissima quaeque exspectanda; partim vero nescio quem horrorem animo esse anticipandum, 8—10; quâ late enim terrae paterent, ab hominibus cultae, rerum publicarum instare conversionem, gentes populosque universos turbatum, civitates atque imperia concussum, Reges bene multos in discrimen iri adductum, 11; at praecipuam miseriae sedem ipsa fore Hierosolyma: haec enim per totum illud *trium et dimidii annorum* spatium Ethnicorum protervitati turpissimaeque libidini fore exposita (Luc. XXI. 24); inexpiabili scelere veri Dei sacra inquinatum, ficti numinis cultu augustissimi templi atrium profanatum iri (Matth. XXIV. 15); aedem ipsam, impiorum contactu pollutam, extremae cladi non superfuturam (Matth. XXIV. 2), XI. 1, 2. Quin tantam hîc fore unius praecipue monstri, quod ex orco suscitandum, primas in hac tempestate partes gessurum esset, (col. 7. coll. XIII. XVII) insolentiam, tantum et istius et satellitum ejus magis magisque invalescentem furorem, ut, cum per integrum hoc spatium *Moses* et *Elia*, *Messiae adventus praenuntii*, urbis incolas ad male factorum poenitentiam exhortaturi, et ad rei exitum prudenter exspectandum praeparaturi fuissent; ut igitur, in ipso exitus articulo eximiâ his gravitate viris necem ii illaturi, et necatos etiam infandâ contumeliâ prosecuturi essent. Quo tamen facto, hos quidem, mirum dictu, in vitam restitutos, ad coelestia loca receptum iri, at simul cum eorum decessu discrimen satis diutinum iri sublatum, bonam causam victricem esse evasuram, improbos cum ipsius urbis ruinâ misere perituros. XI. 3 seqq.

XII.

Omnia igitur, quae Cap. XI. 1—13 exstant, non à vate *visa* fuerunt, sed ab Angelo huic *narrata*, singularem continent προδιήγησιν eorum, quae Hierosolymis, *post Septimae tubae cantum*, saeviente ancipiti istâ procella, imminerent. De cujus dicti veritate si qui addubitent, conferant velim XI. 23 cum XIII. 5: uti enim hîc immanis bellua per menses 42 (annos $3\frac{1}{2}$) auctoritatem suam sustentura esse dicitur: ita eodem spatio illic et Hierosolymorum oppressio, et Mosis Eliaeque exhortatio circumscriptae sunt. *Deinde*, monstrum ipsum, quod in colo 7 hos occisurum esse nuntiatur, in cap. demum XIII ex orco suscitatum prodit. *Porro*, ut scelestus iste, ad majorem pedetentim rabiem progressus, in exitu dominationis suae longe truculentissimum se praestisit, XVI. 13, ita duos hosce Dei ministros non ante, quam

quam discrimen ipsum jamjam tollendum esset, interfecturus legitur. *Denique*, urbis ruina, XI. 13 praemonstrata, cap. demum XVI. 19 unâ cum caeterarum interitu agitur: hic enim τὴν πόλιν τὴν μεγάλην *Hierosolyma* dici, patet ex oppositione τῶν πολέων τῶν ἐθνῶν et βαβυλῶνος τῆς μεγάλης (*Romae*). — At, ais, προδιηγησιν hisce contineri, suadet quidem *futuri* temporis usus, à colo 2 fere ad 10 constanter servatus; mirum vero est, quod à colo inprimis 11—13 res tanquam praesentes exhibentur. Desines, credo, mirari, si plura hujus libri loca contuleris, in quibus eadem dialecticae legis neglectio conspicitur, ex. gr. XVIII. 8, 9 coll. 11, 18 seqq; XXI. 9 coll. 23—27. *Postremo*, ne verba coli 14 moli esse videantur; sive enim haec Angelo auctor tribuerit, sive ipse interposuerit, certe eum in finem sunt addita, ut quae jam instarent, arctissime ea connectenda esse cum iis appareret, quae cap. IX. 13—21 narrata, προδιηγησει illâ aliquantum interrupta fuissent.

XIII.

Haec autem, quibus futuram Hierosolymorum sortem auctor significavit, nescio an manifesto jam prodant, ante urbis excidium hoc opus conditum fuisse. Quis enim, quaeso, qui aetate inferiori *eventum* illud per speciem vaticinationis describere cogitasset, tam procul de industriâ à vero deflexisset, ut imperitissimus quisque facile potuisset fraudem agnoscere? Nae, puto, omisisset ille ea omnia, quae ad colon usque 12 leguntur, et pro numero *septem millium*, qui in extremâ clade perituri essent, col. 13, longe majorem aliquam substituere non dubitasset; solis enim quinque ultimis obsidii mensibus et in ipsâ expugnatione plusquam *millies mille* caesi sunt. Plane autem secus est, si Neronis aetate de re adhuc incertâ vates cecinerit: quae enim colis 2 et 7 praedicta sunt, mox dilucide apparebit, unde ea petierit; quae vero à colo inde 3 narratio exstat, ea neutiquam mira videbitur, si *primum* putaveris, nullam antiquitus aut universi mundi incolis aut dein populo Israëlitico graviorem accidisse calamitatem, nisi proxime ante à legatis Divinis pronuntiatam: quidni ergo ante omnium maximam illam καταστροφὴν similes admonitores à Deo essent mittendi? *Deinde*, exspectasse homines, fore, ut Christi ipsius adventus ab uno aliquo, aut a pluribus ex antiquorum vatum numero, certe ab Eliâ, praepararetur, Joh. I. 21, 35; Matth. XI. 14; XVI. 14; XVII. 1—12; XXVII. 47, 49, coll. Mal. III. 1 seqq. *Denique*, uti omnia, in hac tempestate gerenda, incredibili horrore ac portentosâ specie forent, ita debuis-

buisse consequi, ut horum etiam legatorum persona et sors tralaticium rerum ordinem longe excessurae existimarentur.

XIV.

Jam igitur discrimen ipsum *agetur;* cujus origo, cap. XI, 15—XII. 17, sic vati oblata fuerit. Cum primum *septima tuba* canta fuisset, genii coelestes declarant, Messiae imperii initium adesse, XI. 15—18; nec falluntur; mulier enim gravida, augustissimâ formâ insignis, in ipso partus articulo prodit; Diabolus, qui adhuc auctoritatem suam in coelo sustinuerat, probe gnarus est, se, foetu hoc in lucem edito, plane perditum iri, quare nascentem malâ arte exstinguere studet; sed frustra; integrum filium mulier parit: *Rex Messias* adest, et ab insidiis liber, ad Dei solium transportatur, XII. 1—6. Extemplo nunc, veluti signo dato, ad bellum cum Diabolo gerendum se accingunt Angeli; vincitur ille, et cladem passus exitiosam, una cum ministris suis de coelo in terram detruditur, 7—13; at hinc etiam intra breve tempus sibi cedendum fore in ejusdem Regis gratiam praesentiens, certe quamdiu superesset viribus abutendi facultas, in illud unum operam suam conferre cogitat, ut potentissimi illius adversarii causae, quam possit maxime, noceat. Omnium ergo primam matrem ejus persequitur, quâ divinitus ex periculo ereptâ, et in totum discriminis spatium securitatem nactâ, 6, 13—16, furibundus se ad eos convertit, quotquot essent in terrâ Dei Jesuque cultores col. 17, et internecione eos delere tum ipse, tum foedissimi cujusdam satellitis ope, affectat, in quo ex orco prodeunte jam, cap. XIII, vates stupet. Itaque per hoc caput veluti transitus videtur ad caetera strui; nec facile quisquam dubitet, an in auctoris verba haec explicatio cadat: patet enim et ex universâ orationis serie, et inprimis ex colo 5, cum II. 27, XIX. 15 et Psalmo II collato, τὸν υἱὸν ἄῤῥενα nullum alium, quam *Regem Messiam* dici, et splendidae igitur mulieris figurâ *futuram Hujus Matrem* adumbrari. Quapropter, cum grammatica verborum sententia plana sit, difficillimum tamen est ad decernendum, quatenus vere haec futura esse auctor putaverit. Equidem sic censeo, hoc saltem ei persuasum fuisse, Messiae imperii initium cum Satanae, nequidquam resistentis, clade et ejectione conjunctum fore; angustiarum vero tempestatis, quae ante Illius adventum terrarum incolis immineret, eam praecipue causam fore, quod huic, ex coelo deturbato, per integrum illud $3\frac{1}{2}$ annorum spatium

adhuc in terram saevire divinitus concederetur. Qualis opinio ab eâ aetate non videtur abhorrere; conf. Luc. X. 18; Joh. XII. 31; 2Thess. II. 9. (Rom. XVI. 20).

X V.

Dum ergo Messias à coelestibus jam pro Rege colitur, terrarum orbis Satanae arbitrio subjectus est, qui, quasi solus ad scelesta sua consilia exsequenda non sufficeret, mox adjutorem adhibet, ad omnem malitiam instructissimum, belluam videlicet istam, quam impotenti furore per spatium hocce dominaturam esse Angelus, cap. XI. 7., jam praedixerat. Verum, ut quae sequuntur rite possint intelligi, nec minus, ut tandem ante oculos positum sit, unde vati universae ejus tempestatis praenuntiandae in mentem venerit, fontem aperiamus necesse est, ex quo omnis haec descriptio fluxerit. Nimirum, inter παρουσίας suae indicia hoc etiam declarasse Jesus Christus discipulis legitur, fore, ut τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως, τὸ ῥηθὲν διὰ Δανιὴλ τοῦ προφήτου ἐν τόπῳ ἁγίῳ constitutum viderent, Matth. XXIV, 15. Cum igitur in ipso Daniëlis libro *Messiae adventus* cum turpi hoc facinore conjunctus proponatur, II. 34, 44 seqq.; VII. 8 seqq.; 19—27 caet.; atque insuper ex Josepho constet, Judaeos putavisse, quartum et ultimum regnum, Dan. II. VII, VIII, memoratum, Romanum imperium dici, quod brevi expugnandum penitusque delendum esset, (Jos. Antt. X. 10. §. 4): quis neget, potuisse consequi, ut Christianis eâ aetate persuasum fuerit, Dan. II, VII, VIII, XI, XII vaticinationem contineri eorum malorum, quae ἐν ταῖς ἐσχάταις ἡμέραις proxime ante Christi reditum imminerent. Nam licet nobis quidem manifestum sit, in hisce oraculis, cujus tandem cumque aut auctoris aut temporis esse censeantur, quarti regni nomine non *Romanorum* sed *Alexandri Magni* imperium significari, quod post hujus mortem, in varias ditiones distractum, in Oriente ex maximâ parte Lagidis ac Seleucidis cessit, Dan. II. 33, 40 seqq.; VII. 19 seqq.; VIII. 3 seqq.; XI. 3 seqq.; licet porro constet, scelestum Regem, (ex Seleucidis oriundum, cap. XI), qui per tres et dimidium annos sanctam Dei sedem profanaturus, et ad turpis idoli cultum Judaeos acerbissimâ vexatione compulsurus esset, VII. 25 seqq.; caet., *Antiochum Epiphanem* dici, cujus dira tyrannis et impietas 1 Macc. I. relata est; licet denique pateat, hujusce vaticinationis auctorem spem frustratam esse, utpote qui exspectaverit, statim post exactum Antiochi furoris spatium Messiam esse adventurum, II. 34 caet.: mirum tamen foret, ni plane alia sententia his effatis à Judaeis et à Christianis tributa fuisset.

isset. Cum enim nulli dubitarent, quin divino instinctu ipse Daniël haec cecinisset, per loca laudata II. 34, caet. secus fieri non potuit, quin omnia, quae cum evento hoc arctissime conjuncta legerentur, in posterum quoque tempus transferenda existimarent; quo sumto, lubrica eorum et tortuosa veterum oracula interpretandi ratio satis magno fuit adjumento, ut ad futurum Romanorum regni exitium, atque ad unius eorum Imperatoris saevitiam haec apte accommodarent. — Eo igitur errore ductus, Apoc. libri auctor breviori Jesu enuntiato lumen adhibendum esse ex Daniëlis vaticinatione non dubitavit; quam aequalium more explicans, haec universe significare censuerit: Futurum esse mox, ut invictum adhuc et quasi ferreum robur Romani Imperii subito casu labefactaretur; in decem enim partes illud distractum iri, et earum quamque privo Imper a ori sbjectam fore, Dan. II. 33, 41 seqq.; VII. 24; quo facto, scelestissimum unum hominem in publicam lucem proditurum, pr acipitem in omne flagitium, nec tantum vi potentiâque immensâ sed multiplici etiam dolo et vaferrimâ malitiâ instructum; hunc decem illos Romanorum regulos ita sibi subacturum, ut re quidem verâ unus Imperator exsisteret; jam omnia ea facinora ab hoc perpetratum iri, quae mente vix et cogitatione possint comprehendi; nec tantum in omnes eum libere saeviturum, sed inprimis pios Dei cultores fere ad internecionem deleturum; quin, nefas dictu, eo processurum petulantiae, ut et ipsum Deum tollere ex mundo eniteretur, hujusque expulsi honores sibi vindicaret, Dan. XI. 36; profanaturum idcirco sanctissimam Illius sedem, Hierosolymis collocatam, solenni sacrificio finem impositurum, et in ipso templo vani idoli constituturum statuam, Dan. VII. 25; XI. 31, XII. 11, cui uni cultum tribuere omnes cogerentur, partim metu necis adducti, partim fraude decepti et falsorum sacerdotum praestigiis, XI. 32 seqq.; hoc autem extremae calamitatis spatium trium fore annorum et dimidii, VII. 25, caet.; quibus exactis, Messiam ipsum, regiâ majestate insignem, ex coelo descensurum, monstrum istud una cum ministris foedissimis bello aggressurum et ex terrarum orbe, suae jam ditioni subjecto, sentinam hancce exhausturum penitus. Dan. II. 44, 45; VII. 9 seqq., 22, 26, 27. — (conf. 2 Thess. II. 3—12).

X V I.

Sic, puto, non tantum in promtu est, unde universa ea tempestas, quam à capinde XIII agi se vidisse vates perhibet, illius animo obversata fuerit; verum etiam

sin-

singuli hujusce tabulae colores, et quae praecessit, Angeli praedictio, cap. XI, sane quam insigniter illustrantur. Vides immanem istam belluam, à Danièle praemonstratam, XIII. 1, 2 coll. Dan. VII. 3—8, cui tanquam dignissimo adjutori, simul atque prodiit, suam impertit vim atque auctoritatem Diabolus, XIII. 1, 4; quare per idem tempus, quod huic divinitus ad saeviendum concessum est, ille etiam obtinebit imperium; regem enim, et Romanorum quidem, hac imagine exprimi, certius est, quam quod certissimum; XIII. 1; XVII. 10, 11, 18; XVI. 10 caet. Subactis ergo decem regulis, inter quos hoc imperium brevi ante divisum fuisset, XVII. 12, unus ille rerum potitur; his autem, servatâ dominatus specie tanquam libidinis suae ministris et cujusvis maleficii satellitibus utitur, XVII. 13, 14, 16, 17; quorum consiliis una et Diaboli fultus, non tantum in cives suos incredibili saevitiâ furit, sed in cunctos terrarum incolas, praecipue in Christianos, l. l. et cap. XIII. 7 caet.; Deum pro nihilo putat; quid? quod ludibrio eum laedit, et conviciis maxime detestabilibus insectatur; ipse et esse Deus sibi videtur, et videri humano generi vult; quare omnes cogit se unum venerari, sibique tanquam rerum universitatis domino cultum tribuere; cui tamen cultui quo major accederet splendoris et magnificentiae commendatio, sedem ejus primariam in Hierosolymorum urbe collocat, XI. 2, exstirpatisque Judaeorum sacris, simul se Numen illud penitus confecisse gloriatur. Jam et ubivis et hîc praecipue statuam suam publice adorandam exhibet; homines fere omnes obsequuntur, vel minarum horrore perturbati, vel malâ fraude pellecti unius potissimum viri, qui, adumbrato Deo pro sacerdote maximo ministrans, foedum hoc munus quam studiosissime sustinet; cujus abjectâ adulatione cum magis magisque monstrum istud inflatum omnes superbiae insolentiaeque numeros expleat, tum Christianos tanto urget angustiarum discrimine, ut, nisi cum reliquis terrarum incolis ipsum venerari ac Deum suum abjurare placeat, mortis effugiendae nullus supersit locus, XIII. 8 seqq., 11 seqq. — Haec igitur pestis postquam per constitutum tempus libere dominata fuisset, tandem laetus exitus illucescit: τὸ σημεῖον τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου φαίνεται ἐν τῷ οὐρανῷ (Matth. XXIV. 30) XIV. 14; extrema clades hostibus inferenda agitur, XVI; quam frustra avertere, sociis ex omni terrarum orbe in auxilium advocatis, tres illi scelerum magistri student, col. 13 seqq.; Messias de coelo descendit, XIX. 11 seqq.; copias eorum facile fundit; belluam utramque in ignem infernum detrudit (Dan. VII. 11); caeteros omnes gladio jugulat;

 Sa-

Satanam ipsum catenis vinciendum et in tartarum includendum curat. XX. 1—4. Sic transiit procella; succedit perfectissima salus.

XVII.

Cum igitur, collato Daniëlis libro, jam plurima, quibus tempestatem istam auctor descripserit, clara sint et perspicua, longe tamen abest, ut nihil ultra ad explicationem requiratur; neque enim illius oraculum simpliciter hic repetendo expressit, sed simul lumen, quod rerum gestarum historia jam suppeditasse videbatur, ad ejus interpretationem adhibuit. Nimirum ultro agnoscis, multo eum pressius et patentius, quam ex Daniële apparuerit, vesanum monstrum indicasse, nec futurum aliquem Regem dixisse, qui primum *tunc* in lucem esset proditurus, sed talem, qui, cum ante jam vixisset, et cruentâ morte cecidisset, ex orco esset suscitandus, XI. 7; XIII. 3, 14; XVII. 11; quapropter et ipse nomen ejus se cognitum habere professus est, et idem, numeris expressum, lectoribus tanquam inventu non difficile impertiit, XIII. 18. Quid? an ergo ejusmodi bellua jam ante Romanorum imperio praefuerat? tantâ homo superbiâ, tam scelestis moribus, tantâ impietate, ut metus esse posset, ne in vitam rediens, extremam istam angustiam humano generi concitaret? Exstiterat vero: inter *quinque priores Romanorum Principes*, XVII. 10, locus ei fuerat: ne multis, *Cajum Caesarem* vates dixit. Vellem hic evagandi esset spatium, ut flagitiosos viri mores paucis persequerer, quo dubito, an magis perditum terrarum orbis nunquam tulerit; at lege quaeso vitam ejus, à Suetonio enarratam, et cum hoc in tanto monstro stupe. Unum vero est, quod cum causae probatione conjunctissimum, silentio transire damno foret: accipe, quanta in hoc arrogantia, impietas ac Deorum contemtio insignis fuerit. Ex ipso quidem Suetonio disces, majestatem divinam eum sibi asseruisse, templum numini suo proprium et excogitatissimas hostias instituisse; cum Olympici Jovis statua e Graeciâ apportaretur, eum capite demto, suum huic imposuisse, partem palatii ad Forum usque promovisse, atque aede Castoris ac Pollucis in vestibulum transfiguratâ, saepe consistentem inter fratres duos, medium se adorandum adeuntibus exhibuisse; quosdam Latialem Jovem eum consalutasse; quin eo superbiae dicam an stultitiae eum progressum fuisse, ut plerumque aureâ barbâ incederet, fulmen tenens aut fuscinam, aut caduceum, Deorum insignia, ac noctibus quidem plenam fulgentemque lunam assidue in amplexus atque concubitum in-

invitaret, interdiu autem cum Capitolino Jove secreto fabularetur, nec jurgiis aut minis hunc insequi, si displicerent responsa, dubitaret (cap. XXII. LII). Haec, inquam, et plura id genus ab ipsis Romanis sunt prodita; at longe majora impietatis ejus exempla apud Philonem Judaeum et apud Josephum exstant, quae sane quam evidenter persuadeant, nullum praeter hunc Imperatorem à vate significari potuisse. Nam, ut brevi ea praecidam, quae copiose uterque retulerunt, scelestus iste Cajus, postquam, quâ late pateret Romanum imperium, numinis sui cultum induxisset, et ab universis pro Deo, à plurimis pro Deorum Principe haberetur, soli Judaei eum spernere ausi sunt, ac patriae religioni constanter adhaeserunt. Quod cum jam saepius ad hunc delatum fuisset, tandem aut penitus eos exstinguere, aut vi et armis eorum pertinaciam domare cogitavit. Quapropter et in reliquis terris, et maxime Alexandriae tantopere in eos saeviri coeptum est, ut qui malorum descriptionem apud Philonem legat, dubitet fere, an non poëtae magis quam historici partes ille egerit. Haec autem omnia in eum finem tetenderunt, ut ad Caji cultum divinum ii cogerentur, Deoque suo neglecto hunc substituerent; unde praecipue eorum προσευχαὶ aut turpiter pollutae, aut à fundamentis dirutae, aut igne subjecto flammis deletae sunt. Verum ultra etiam infensi Caesaris ira processit: in ipsâ Hierosolymorum urbe coli se voluit; quare Petronium cum ingenti exercitu Judaeam jussit invadere; ac si ultro quidem id illi paterentur, statuam suam in templo collocare, sin vero resisterent, bello eos aggredi, et misere vexatos ad obediendum adigere. Petronius advenit, et ad Ptolemaïdem hiberna egit, primo vere mandatum exsecuturus. Jam incredibile quantus Hierosolymitanos terror incessit; multa millia Caesaris Legatum adierunt, deprecatum, ne tale facinus in ipsorum leges et in religionem admitteret; sin autem parere Caesari quam Deo mallet, ipsos statim jugularet; nam nisi cum omnium caede templum profanatum non iri. Cujus constantiae simul et desperationis cum per totam hiemem luculentissima vidisset specimina, tandem Petronius, precibus flexus, ad Caesarem literas dedit, suadens, ut superstitioni eorum cederet potius, quam cum universae gentis exitio divinos sibi honores compararet. Quâ Legati audaciâ magis etiam exacerbatus, cum responsum Cajus reddidisset, et in hunc et in rebelles minacissimum, ante tamen, quam hoc in Judaeam perferri potuit, jam laetus advenerat nuntius, ipsum periisse, à Chaereâ, et qui cum eo conjurassent, trucidatum. Unde, cum Petronio integrum esset, copias suas domum reducere, Judaei repente

ex periculo exemti sunt, et mox à Claudio benigne habiti, avita jura intacta tenuerunt. Conf. Philo περὶ πρεσβείας πρὸς Γάϊον, inprimis (ed. Francof. 1691) pag. 1002 seqq. Jos. Antt. XVIII. 8. de B. J. II. 10.

Cum igitur à fide non abhorreat, tum, cum ista immineret procella, Judaeos atque Christianos jam putavisse, discrimen, à Daniële praedictum, instare: quî tandem mirabimur, si dein metuerint, ne idem monstrum, scilicet post breve regnum *trium et dimidii circiter annorum* exstinctum, denuo esset ex orco proditurum, ut inceptum persequeretur, et per tantundem spatii saeviret? Quae fama cum, quâ late pateret exsecrati Caji memoria, ad plurimos forte manaverit: tum hujus certe libri auctori, si in ipso terroris articulo Hierosolymis adfuerit, ea cogitatio in animo imprimi facillime potuit.

XVIII.

At vide, quaeso, si hunc à vate significari dederis, quam clara sint et expedita duo ea loca, quae pro gravissimis merito habeantur. Quod enim ad alterum attinet, XVII. 10, non requirimus, ut aut Julium, (quem *Judaeos* certe pro Romanorum Imperatorum primo putasse, et aliunde, et ex Josepho perspicue apparet, Antt. XVIII. 2. §. 2; 6. §. 10 caet.) aut Galbam, Othonem et Vitellium ex Caesarum numero eximas: οἱ πέντε οἱ πεσόντες sunt Julius — Claudius; ὁ εἷς, ὃς ἦν, Nero; hunc unus adhuc erat excepturus, at in breve temporis spatium, cum ipsius Jesu adventus *mox* instaret; quo e medio sublato, distractoque simul inter decem regulos Romanorum imperio, col. 12, Cajus iste, unus, *quartus*, de septem, violentâ nece olim exstinctus, XIII. 3 caet., in vitam erat rediturus, et octavum inter Caesares locum occupaturus. Sic, puto, cum nihil cogatur, ultro apparet, auctorem testari, se, *Nerone imperante*, hoc opus condidisse. — Restat, ut de nomine dicamus, quod, XIII. 18, numeris expressum est. In nostris quidem libris legitur χξς, 666; at Irenaeus jam prodidit, alteram fuisse lectionem, χις, 616. Quâ probatâ, nescio, an in nostrâ explicatione parum desideres. Ipsum enim *Caji Caesaris* nomen, quo et à Romanis et à Graecis constanter vocatus est (nam *Caligulae* appellatio veteribus fere ignota fuit); hoc igitur nomen non Hebraïce, sed *Graece* scriptum, sicut apud Philonem et apud Josephum compluries exstat, numerum habet, quem vates indicaverit:

Γ	=	3
Α	=	1
Ι	=	10
Ο	=	70
Σ	=	200
Κ	=	20
Α	=	1
Ι	=	10
Σ	=	200
Α	=	1
Ρ	=	100
		616.

Hac igitur antiquissimâ lectione receptâ, difficultas penitus sublata est, et ipsius libri indicia alterum alterius declarationem firmant.

XIX.

At vereor tamen, ne quis temeritatis crimen objiciat, quod lectionem mutavi, quam et omnia fere exemplaria, tam Graeca, quam reliqua, tuentur, et Irenaeus ipse, ubi de alterâ illâ mentionem injecit, huic mirum quantum praetulit, adv. Haer. V. 29, 30. Cujus argumentationis cum posterius certe membrum veri speciem habeat, paucis refellenda est. Irenaeus igitur sic fere disputat: Egregie congruere istiusmodi nomen, cujus literae valeant 666, cum moribus futuri Antichristi turpissimis; contineri enim illo summam omnis improbitatis, quae ab initio inde per *sex* annorum millia, partim ante diluvium, partim post illud, in mundo fuerit patrata: quo enim tempore universi homines, paucorum exceptione factâ, aquis exstincti sunt propter animi pravitatem, commodum Noächus annos fuit *sexcentos* natus, et statua, quam insolentissimus Babyloniorum Rex, Nabuchodonozor, tam impium in finem sibi parari jussit, *sexaginta* cubitos longa fuit, *sex* lata. Itaque in tantâ bonitate calculi, *cum simul in omnibus probatis et antiquis exemplaribus hic numerus exstaret*, ac *praeterea germanum hunc esse testarentur ii*, *qui Johannem ipsum vidissent*; vix intelligere se, quî tandem alii (nec pauci certe; nam diversa eorum genera distinguit;) eo pervenissent stultitiae, ut medium numerum mutilantes, in

lo-

locum literae ξ substituerent ι, et nomina quoque investigarent, ex quibus calculus iste subduceretur. Quam quidem corruptelam, si vel impietatem ejus Deus condonasset, ingens hoc facere periculum, ne, si prodiisset Antichristus, hi, cum nomen ejus non congruere viderent cum numero, quem sibi animo effinxissent, incauti in errorem abriperentur, et misere suâ audaciâ perirent." Agnoscis ergo, cum caetera omnia nugatoria sint, hoc unum agi, quanta fides et testibus illis habenda sit, qui Johannem coram vidissent, et Irenaeo ipsi, ad antiquos omnes et probatos Codices provocanti. Illorum vero auctoritas, collato ejusdem libri cap. 33, plane concidit; qui enim fabulam absurdissimam, tanquam ab Johanne, et ab hoc quidem ipsius Jesu verba tradente, sibi *narratam* retulerint: his certe, de hoc numero pronuntiantibus, ideo, quod Johannem *viderint*, tuto credi non potest. Nec confessa quoque ipsius Irenaei in hac causâ fides est; cum enim merito dubites, an Lugduni inter Gallos hic degens, antiqua omnia et probata Apoc. libri exemplaria ob oculos habuerit, ac mirum profecto sit, si alteri illi, qui satis multi fuerint, lectionem, ab ipsis excogitatam, audacter defenderint: tum nemini latet, saepe et Irenaeum, et reliquos doctores, ut sua commendarent placita, festinantius et cupidius de rebus disseruisse. Quapropter, si utraque lectio satis esset commoda, hic quidem locus mihi suaderet, ut χξϛ praeferrem; cum vero altera unice bona, haec autem inexplicabilis sit, non tantum eidem loco pondus inesse videtur, ut cum damno totius libri sententiae Irenaeo adhaerescam. Ut vero difficile dictu est, unde varietas ea orta fuerit, aut quale nomen sibi mente informaverit is, qui, postquam vera interpretandi ratio jam evanuisset, primus numerum mutaverit, ita consecutum est ultro, ut Irenaei auctoritas, ac partim bellus, quem exhibuit, calculus, partim speciosa ejus, severa ac minax disputatio tantum apud posteros valuerint, ut à judicio ejus deflectere fere religioni habuerint. Prius igitur objectationis membrum adeo non curo, ut potius mirer, duos adhuc superesse Codices, C. et 11, in quibus altera lectio servata, nec librariorum arbitrio inter scribendum depravata sit. Horum enim culpâ quam late ejusmodi errores disseminati fuerint, et aliunde constat, et evidenti exemplo hîc illustrari potest. Nimirum, cum apud Ticonium Afrum, saec. IV, (aut cujuscunque tandem sit *expositio* illa *in Apocalypsin B. Johannis*, inter Augustini opera edita, ed. Lovan. IX. in Append. p. 352, Benedict. II. in App. p. 143) numerus χιϛ solus exstet, ii tamen, qui ante Benedictinos hunc libellum ediderunt, nullâ annotatione additâ, χξϛ simpliciter substituerunt.

X X

X X.

Si igitur, quae disputavi, legitima esse tibi persuaseris, in promtu erit, credo, universa eorum sententia, quibus à cap. XI — XIX. 3 futurae tempestatis descriptio absolvitur. Nam facile quidem apparet, ea, quae cap. XVII, XVIII, et passim alibi leguntur, eum in finem à vate interposita fuisse, ut et rerum imagines explicandi locus esset, et res ipsae ad sensum propius admoverentur. Deinde, ut peculiare quoddam hujus scriptionis fuisse consilium, abunde liquet, ita haec inprimis pars id manifesto prodit. Omnia enim auctor, vel ad horrorem incutiendum, vel ad alacritatem et vigilantiam excitandam, vel ad animos piorum erigendos revocavit; conf. loca laud. ad III. Quare neque alia multa curiosius investiganda existimo, nec de industriâ inquirendum, quem tandem Caji satellitem Sacerdotis istius imagine, XIII. 11 seqq, adumbraverit: si enim virum, ex historiâ notum, voluisset indicare, non dubito, quin hujus quoque nomen numeris expressisset. Porro, colores, quibus ad hoc angustiarum discrimen ob oculos ponendum usus est, missis jam iis, quae ex Daniële descripsit, ita comparati sunt, ut, si Jesu Christi orationem et antiquorum carmina contuleris, plerorumque certe vim expedite agnoscas; reliqui vel ex priscâ historiâ Israëlitarum, populorumque, inter quos degerunt, petiti sunt, XV. 3, 4, XVI. 1. seqq.; 12, 16, vel Judaeum produnt auctorem, XV. 20, qui aequalium commenta non omnino spreverit, XVI. 13, 14. Denique, etiamsi universo generi humano eam imminere tempestatem, et omnes, quotquot belluae, longe lateque dominanti, obtemperaturi essent, atrocissimis Dei poenis obnoxios fore, aperte significaverit, XIII. 7, 8, XVI. 19 caet.: Romae tamen exitium propterea inprimis celebravit, quod ea urbs unicus futura esset malorum fons, et perditissimi monstri praecipua sedes.

X X I.

Nec difficiliora jam ad intelligendum ea sunt, quibus faustissimum exitum vates persequitur, à cap. XX. 4; modo, ne, quod ille proprie dixerit, torquendo tu figurate expedias. Flagitante enim totius operis ratione, et ipsâ verborum vi, hanc veram esse effatorum sententiam, securus contendo: fore, ut Messias, de coelo redux, cum ad internecionem hostes delevisset, et scelerum magistros cum ipso Satanâ e medio sustulisset, XIX. 11—XX. 3., in hoc terrarum orbe regnum conderet; in hujus societatem pios et constantes Dei cultores adsclsceret; qui ex

eorum numero in praeviâ oppressione et angustiarum summâ atrocitate mortem jam oppetiissent, hos in vitam revocaret; secus atque reliquos defunctos, quorum reviviscendi tempus per decem integra saecula adhuc differretur; tum igitur per ultimam annorum χιλιάδα auream aetatem adfuturam, quam prisci vates copiose splendideque celebrassent; quâ bona quaevis et felicia Christianis contingerent; quâ liberi ab omni calamitate in pacatissimâ regione tranquilli et beati degerent, nullius imperio subjecti, nisi Domini dilectissimi, quicum et ipsi essent domini terrarum, nullo extrinsecus hoste, nullâ injuriâ, nullâ intus turbâ animorumve discordiâ, cunctis inter se virtute paribus, unâ omnibus appellatione et dignitate Sacerdotum Dei. Atque fortunato huic statui non prius finem iri impositum, quam mille anni essent exacti; tum per breve tempus iterum proditurum Satanam, et barbaris ad bellum concitatis, in ditionem Messiae impetum facturum; quo tamen divinitus represso, ipsoque in infernum ignum abjecto, diem adfore, quo tota haec rerum universitas immutaretur, quo confusis inter se et conturbatis elementis, nova exsisterent coelum et terra, mortui omnes ex sepulcris suscitarentur, et vitae ante actae redderent rationem; tum eos, quibus olim jam tanta felicitas in terrâ contigisset, una cum caeteris, quos summus Iudex absolvisset, ad sedem splendidissimam beatitatis aeternae iri traductum; alteram vero hominum partem, in quos sententia damnationis lata fuisset, in luctum iri suppliciumque detrusum, suâ ut diritate, ita inprimis perpetuitate, terribilem. Haec igitur vates exspectavit, et tamquam certissima suis impertiit; nec mirum profecto, quod in *regni* cogitationem adductus fuerit; ne enim de veterum oraculis, aut de publicâ Judaeorum opinione dicam, ipsius Jesu Christi effata forte male interpretatus pro spei fundamento putavit. Verum roget quis, unde χιλιάδος ac diversi suscitandorum mortuorum temporis notionem sibi in mente informaverit? Apparet, credo, utramque eâ aetate inter Judaeos vulgarem fuisse, et, cum alterius quidem in libris Novi Codicis nullum exstet vestigium, altera tamen ex 1 Cor. XV. 22—26, 1 Thess. IV. 16, forte etiam ex Phil. III. 11, aliquantum pellucet. Descriptio autem turbarum, quas, beatitate illâ ad finem vergente, Gogitae et Magogitae cituri essent, ad verbum paene ex Ezechiële expressa est; conf. cap. XXXVIII et XXXIX; cujus oraculum non dubitavit auctor, quin reverâ de hoc tempore exponeret; nec miraberis, quod sibi hoc persuaserit, si et caput antecedens XXXVII, et capitis XXXVIII cola 8, 11, caet. accurate consideraveris. Postremo, manifestum est, omnia fere, quae à cap. XX. 11—XXII. 5 sequuntur, ab antiquis, inprimis ab Jesaïa et ab Ezechiële petita esse.

XXII.

XXII.

Est ergo haec vaticinatio, missis, quae ad formam magis quam ad materiem pertinent, sic comparata, ut constet, auctorem credidisse, res vere futuras à se cani. Quapropter, si de scriptionis consilio recte exposuisse videor, non multos jam fore existimo, qui aut impietatis hunc arguant, quod Jesu Christo ac Dei ministris universam acceptam retulerit, aut non agnoscant, quare, XVI. 15; XIX. 9; XXI. 5; XXII, 6, 7, 16, eorundem gravissima interposuerit effata; nam alium sane in finem dilectissimi Domini auctoritate nusquam abusus est, quam ut virtutem splendidius commendaret, et ignaviae scelerumque labem severius repelleret. Unus vero id genus est locus, in quo non parum offenderunt plurimi, et in cujus asperitatem praecipue Semlerus iracunde invectus fuit, clausulam dico, XXII. 18, 19. Ac fateor equidem, satis insolenter ea sonare, si scilicet hanc sententiam vates subjecerit: *fore, ut qui huic libro literulam unam aut addidisset, aut detraxisset, saevissima ei poena, in eodem nuntiata, infligeretur.* Verum longe abest, ut tam ridiculam arrogantiam vates prae se tulerit: οἱ λόγοι τῆς προφητείας τοῦ βιβλίου τούτου non verba vocesque ejus singulas sed universum argumentum significant; conf. col. 7, 9. Quod cum paucis contractum in hisce vertatur capitibus: fore mox, ut Christus in terram rediret; cavendum esse omnibus, ut et jam et inter aerumnas in religione et in virtute constarent; pios enim et sanctos in regni beatissimi societatem adscitum iri, reliquos tanquam indignos exclusum, τοὺς κύνας, καὶ τοὺς φάρμακους, καὶ τοὺς πόρνους, καὶ τοὺς φονεῖς, καὶ τοὺς εἰδωλολάτρας, καὶ πάντα τὸν φιλοῦντα καὶ ποιοῦντα ψεῦδος, col. 15, conf. XXI. 27; XXII. 3, 11—14; haec igitur cum totius vaticinationis summa sit, non aliam apparet illius effati sententiam esse, nisi, qui secus ageret, aut secus agendum esse cuiquam inculcaret, eum imprudentiae et obstinationis certissimas poenas daturum. Nec levi de causâ ejusmodi minas adjecit: scriptus enim liber est ad tales Christianos, qui ad ignaviam et ad vitia ista non sponte suâ tantum proclives erant, sed simul pelliciebantur scelesto quorundam ψευδαποστόλων hortatu. Quos cum omnem operam in illud esse collaturos sentiret, ut monitorum vim infringerent: non ante huic libro finem imposuit, quam et ipsos Jesu Christi nomine severe graviterque obtestatus fuisset, et caeteros deterruisset, ne fraude inducti istorum studiis obsequerentur.

XXIII.

Uti impium est, scripta, quae Codice nostro continentur, ideo libentius in falsitatis suspicionem vocare, aut de eorum fide quo tandem cunque modo detrahere, quod scilicet *Sacrarum Literarum* nomen invidiam pepererit: ita incautum videtnr, et literato homine indignum, coecâ veneratione ea idcirco prosequi, quod usu jam omnia *Sacrarum Literarum* nomine solemus complecti.

XXIV.

Quo severius nostrâ aetate in arte criticâ elaboratum est; eo clarius apparuit, non facile eorum testimonio fidem negandam esse, qui singulorum Novi Codicis librorum auctores primi indicarunt.

XXV.

Male Hugius, Einleit. II. 227, 228 (3. Edit. 259, 260), ex 2 Joh. 12 et 3 Joh. 13 argumentum petiit, ad arguendum, has Epistolas in desertâ regione (Patmo) ab auctore (Johanne Apostolo) conscriptas fuisse. Neutiquam enim ex colis illis patet, eum non satis atramenti et chartae vel calamorum ad manum habuisse.

XXVI.

Ut in omnibus veterum scriptis explicandis longe praestat, ea, quae leguntur, aut quae olim lecta fuisse apparet, tueri, quam nova temere substituere: ita praesertim in Sacrarum Literarum utroque volumine interpretando primaria lex est, ut, quantum fieri possit, Codicum MSS. et versionum antiquarum auctoritatem magnâ cum religione observes. Nec tamen in Hebraïco tantum, quae res testata est, verum etiam in Graeco volumine loca esse videntur, quae ut in integrum restituantur, conjecturae medicinâ indigeant.

X X V I I.

Quae Psalm. CXL. 9, 10 in editione vulgari leguntur, et ab antiquis jam lecta fuerunt, inexplicabilia sunt: אל־תתן יהוה מאויי רשע זממו אל־תפק ירומו סלה ראש מסבי עמל שפתימו יכסומו. Quare, abjectâ voce סלה, quae et alibi, male interposita, ordinem turbavit, sic verba distinguenda et legenda esse censeo: אל־תפק ירומו ראש מ״ע״ש״ יכסו. *Ne exple, Deus, optata improbi; cura, ut ne exitum habeat machinatio ejus. Elato capite incedunt ii, qui me circumdant; et malum, quod gloriose moliuntur, celant.* Nec difficile est ad explicandum, unde מו post יכסו ortum fuerit. Nimirum prima sequentis coli vox est ימיטו, pro quâ cum et antiqui jam legerint, et etiam nunc Judaei legant ימוטו, diversitas lectionis in margine primum notata fuit literis מו, quas dein, pronomen esse putantes, in ipsum textum et in alienum quidem locum adsciverunt.

X X V I I I.

In Psalmi LXII colo 4: עד־אנה תהותתו על־איש תרצחו כלכם כקיר נטוי גדר הדחויה; in his igitur pro תרצחו legendum est תרצחו, et pro גדר הדחויה substituendum גדרה דחויה: *Quo usque in (unum) virum invadetis, et conjunctâ vi omnes velut parietem labantem, maceriam subversam, destruetis.*

X X I X.

In Judae Epistolae colo 3 verba *γράφειν ὑμῖν* delenda videntur, utpote quae non ab ipso auctore profecta fuerint, sed jam pridem in margine addita ab uno aliquo, qui sequens *γράψαι ὑμῖν* insolentius dictum existimaverit. Legendum ergo censemus: *Αγαπητοὶ, πᾶσαν σπουδὴν ποιούμενος περὶ τῆς κοινῆς σωτηρίας, ἀνάγκην ἔσχον γράψαι ὑμῖν, παρακαλῶν κ. τ. λ.*

X X X.

X X X.

In exercendâ Criticâ librorum Novi Codicis, non solum testium, in hanc illamve lectionem consentientium, numerus in censum vocandus est, sed singulos, quoad ejus fieri possit, cum bonitatis tum inprimis vetustatis habitâ ratione, ponderare, leges Criticae jubent. Et unius adeo veteris sive codicis sive interpretis lectio subinde probabilior est lectione centum et quod excurrit testium aliorum. In numerum interpretum ex hoc genere haud dubitanter referimus tum auctores versionum, tum etiam, quicquid nonnulli contradixerint, illos, qui in commentariis, vel scholiis, vel aliud agentes, loca dubiae lectionis antiquitus commemorarunt.

X X X I.

Hebraeorum carmina certis numeris adstricta fuisse, quam non fuisse, probabilius duco; vera autem hujus metri, si quod fuerit, ratio nondum reperta videtur.

X X X I I.

Nullum continetur lege Mosaïcâ institutum, cui ut commodus tribuatur sensus, *Typicâ*, quae dicitur, interpretandi ratione opus est.

X X X I I I.

Uti sano cuique id demum constat verum esse, quod sibi non temere, sed totâ causâ accurate circumspectâ, persuaserit: ita vehementer ii falli videntur, qui ad doctrinam religionis cognoscendam non ratione aut disputatione opus esse, sed in intestino quodam sensu omnia verti, existimant.

X X X I V.

Homini naturâ est insitum, ut inter bonum et malum morale discrimen agnoscat, et, cum alterum sibi sequendum esse, alterum vitandum sentiat, simul facultas ei data est, alterutrum libere optandi. Unde cum juste cogatur, fieri non posse,

ut

ut vita hominis cum corporis morte finiatur, tum nihil est, ut de reliquis animalibus, à quibus sensus ille penitus absit, eundem in modum statuamus.

XXXV.

Parum est, quod Sacri Codicis lectio omnibus, nullo discrimine, commendetur; cavendum est simul, ut, quantum satis sit, eum omnes intelligant.

XXXVI.

Ut Latini sermonis integritate Terentius Plauto longe superior, ita comicâ vi et facultate eodem inferior fuisse censendus est.

XXXVII.

Historico non licet quicquam fingere; consequens est, ut ab orationibus fingendis abstineat.

XXXVIII.

Cum in fabulis scenicis praecipue requiratur, ut naturae non repugnent, jure dubitari videtur, an in eas cadat numeris adstricta oratio.

XXXIX.

Uti earundem auctoribus maximo opere studendum est, ut cum delectatione utilitatem jungant: ita exsecrabile videtur eorum scelus, qui id adeo non curent, ut verecundiae et bonis moribus turpiter officiant.


XL.


Civitatium recentiorum forma impedire videtur, quominus eloquentia civilis hodie ad eam perfectionem et dignitatem perveniat, quam Athenis et Romae tenuit.

Com-


Commodum accepi G. H. A. Ewaldi, celebratissimi viri, *commentarium in Apoc. Johannis Exegeticum et Criticum;* quem uti satis diu jam exspectaveram, ita cupide statim evolvi et legendo percurri. Nec pauca in eo reperi, quae mihi vehementer placent; plurima vero, quae perspicaci huic doctoque Grammatico mecum plane convenisse, eximie laetor. Et tamen simul mihi agnoscere visus sum, laborem hunc nostrum non omnino frustra fore; ut enim, missis quae leviora sunt, gravissimum unum in medio ponam, caput XVII, Eichornium presse secutus, ita explicat, ut auctorem, qui *Galbâ imperante* hoc opus ediderit, de *Nerone ad imperium redituro* ex publicâ opinione cecinisse existimet; numeri autem expediendi, XIII. 18, duplicem rationem proponit; alteram, quae vulgaris est et tralaticia, ut servatâ lectione χξϛ, nomen Λατεῖνος a vate expressum putes; alteram, ut lectione mutatâ, substitutisque χιϛ, Hebraïce exares קֵיסַר רוֹם (*Caesar Romae.*)

Pag. 34 versu 13 pro *silata* lege *simulata.*








LIBRARY OF CONGRESS
0 014 503 225 8
